



# FR. LVDOVICI SOTELI
MINORITÆ


*Regii ad Apostolicam sedem Legati & Regni Oxensis Apostoli ac designati Martyris*

# AD VRBANVM VIII. PONT. MAX.

De Ecclesiæ Iaponicæ statu Relatio, Imperatoris Augusti, Principum, Electorum, omniumque statuum Imperii cuiusque Ordinis lectione digna.

ACCESSIT

*FR. IVNIPERI DE ANCONA MINORITÆ Consultatio de causis & modis Religiosæ disciplinæ in Societate Iesu instaurandæ, Ex Italico latinè conuersa.*



ANNO M. DC. XXXIV.





# BEATISSIME PATER.

*Post præmissam sanctorum pedum (ad quos etiam hinc prostratus iaceo) humilem ac devotam osculationem.* 1.

*Frater Ludovicus Sotelo, Fratrem Minorum alumnus, in servis quidem abiectissimus, in filiis verò omnium minimus; sanctitatem vestram de ijs quæ tam dudum novisse præsumo, certiorem facere intendo. Nempe fuisse me quondam Idate Masamune, qui regni Oxu (quod est in Orientali Iaponiæ parte) gubernacula tenet, nec dum quidem per Baptismum regenerato; sed tamen Catechumeno, & qui Christianam fidem in suo regno prædicari cupiebat, simul cum alio suæ Curiæ optimate Philippo Francisco Faxecura Retuyemon ad Romanam Curiam & qui tunc Apostolicæ sedis culmen tenebat SS. Papam Paulum V. qui ad cælos evolauit, Legatum expeditum. Quo tandem cum Anno salutis 1615. iuvante Deo pervenissemus, à SS. Papa magno cum Cardinalium Sacri Collegij Antistitum ac Nobilium concursu, nec non & Rom. populi ingenti lætitia & communi alacritate non modo benignè excepti, verùm & humanissimè tam nos quam etiã tres alij, quos Iaponij Christiani, quatenus eorum circa Christianam Religionem statum Apostolicis auribus intimarent, specialiter destinaverant, auditi, recreati, & prout optabamus, quantocyus expediti.*

F. Ludovicus Sotelo Minorita à Rege Oxu missus ad sedem Apostolicã, & Paulum V. cũ aliis.

Romam peruenerũt Anno 1615. excepti humanissimè.

*Igitur cum ea, quæ tum ex parte Regis Oxensis, tum etiam Christianorum Iaponiæ proponebamus, atque humiliter supplicabamus, audivisset, ac pro voto nostro annuisset, habito insuper cum sacra congregatione Cardinalium suæ Inquisitionis consilio, decretum est, debere in præfato regno Oxensi plaga Iaponiæ alium institui Episcopum. Designavit autem ad id muneris SS. Papa me omnium indignissimum & quatenus assensum præberem, DEVS, Apostolicis verbis (quos DEVS eligit, idoneos ministros facit) reluctanti præcepit. Quibus auditis sacros pedes osculando, consensi. Ordinatum præterea*

2. Designatus idem Episcopus regni Oxẽsis.

fuit Religiosos S. FRANCISCI sua sanctitatis & expensis & nomine ob prædicationem Euangelij in eo regno mittendos fore nobiscum; mandatumq; Nuncio Apostolico ac Collectori Generali, qui tunc in Catholici regis Hispaniæ Curia assistebat, quatenus sumptus ad id necessarios ministraret: nec non & antiquos annuales redditus ad fundationem & sustentationem cuiusdam
3 Collegij sive seminarij, quod Iaponia institui designaret, reliqua ad commodiorem occasionem remittendo.

Ad Nuntium Apostolicum cum Regis consensu Catholici, Episcopalis cõsecratio remissa Anno 1616.

Cum autem reditum nostrum Iaponiam per Hispaniam & alias Indiarum Catholico regi subiectas Provincias necessariò fieri oporteret, ordinatum fuit à præfato SS. Paulo V. tam meam consecrationem, quam etiam prædictorum expeditionem ad præfatum Nuncium Apostolicum habito primum regis consensu fore remittendum datis super ea re ad Catholicum regem, tam per nos, quam etiam per præfatum Nuncium specialibus literis, simul cum rescripto ad prædictum regem Oxensem, & Iaponios Christianos donis, etiam ad eosdem, nec non multis gratiis, indulgentiis, reliquiis ac spiritualibus muneribus cum accepta benedictione, anno 1616. Hispaniam remeavimus.

Magnificè excipiuntur à Rege & omnibus, & assensum obtinẽt.

Ibi quoq; cum ingenti gratulatione, lætitia singulari & benignitate erga nos sanctæ & Apostolicæ sedis magnificentia, ac communi ædificatione, non Prælatorum & Principum tantum, sed etiam regis Catholici, cuius speciali protectione illuc perueneramus, excepti, traditis Apostolicis literis, gratum regis assensum, & Iaponicam conuersionem adiuuandi affectum piissimum vidimus.

Nuncium triste adfertur de persecutione graui & tyrannali in Iaponia.

Obitus Episcopi Iaponiæ Societ. Iesu. Successor ex eadem Societate statim institutus, cuius consecratio etiam in Hispaniã remissa. Ferunt Iesuitæ indignè alios Religiosos in Iaponia præfici, & impediunt aliena manu.

Sed ecce tunc ex noua Hispania in prædictam Curiam Nuncius regalis adueniens sæuam ab Imperatore Iaponico, & generalem aduersus sua ditionis Christianos post nostrum inde discessum excitatam fuisse persecutionem, quâ destrui templa & relegari Sacerdotes, & ob fidei confessionem plerosq; occidi fideles nunciabat. Eodem quoq; tempore, quo nos in Romana Curia detinebamur, nunciatum fuit Domino Paulo V de obitu Episcopi Iaponensis à Religiosis Societatis Iesu, cuius & ipse erat alumnus. Ipse verô statim de successore ex eadem religione assumto prouidit, cuius considerationem & expeditionem remisit pariter in Hispaniam, vbi præfati religiosi (quatenus visum fuit) non æquo satis animo ferentes alios, præter suos, Ecclesiam in Iaponia dominationem habere, quod quidem in sacra Curia variis etiam diligentijs aliena manu & industria adhibitis impedire non valuerunt, arrepta ex prædicto nuncio Iaponicæ persecutionis occasione impedivêre. Persuadentes enim præsidi Concilij regalis Indiarum, aliisq; eius ministris (cui
4. Rex Catholicus hæc negotia commiserat) nullatenus expedire ea executioni

mandare,

mandare, quin potius omnino oportere omnia tam sua quam nostra simul suspendi, ne forte Tyrannus Imperator Iaponicus eò magis de his ipsis irritatus crudelius ageret in Christianos, reipsa prout optabant, impetraverunt, sicq; decretum fuit à Concilio Regio. Quæ cum audiuisset præfatus Apostolicus Nuncius, huic se decisioni opposuit, instantiam de nouo faciens, & relationem coram Regia Maiestate, ad quam etiam Ordinis mei Vicarius generalis (qui in eadem tunc Curia morabatur) similiter & Ego recurrimus, clamantes coram Rege, & dicentes, nullum prorsus de indignatione Tyranni Imperatoris expectari posse maius damnum, ipsâ iam subortâ persecutione, & sacerdotum relegatione, neq; de fide Christianorum videri posse peius periculum, quàm eosdem doctrinâ atq; Ministris destitutos relinquere inter Lupos; in quorum etiam medium SS. Apostoli à Christo Domino missi sunt. Apostolicam quoq; sedem Christi vestigiis inhærentem Spiritualibus ouibus de Pastoribus ac Prædicatoribus in similibus cõsueuisse prouidere, qui Christi gregem à lupina rabie protegerent: quorum quidem fidelitas pariter ac probitas, non modo in pace tranquilla, sed tunc maximè, cum aduenientibus lupis vrgentem persecutionis rigorem æquo animo pertulerint, comprobatur. E contra verò eos à Domino aperte Mercenarios appellari, qui desertis ovibus cum à lupis dilaniantibus impetuntur, effugiunt. His quidem Catholicus Rex benignum præbuit auditum, imò & ædificatus est. Regale verò Concilium prædictum super iam edita determinatione ne revocaretur fecit instantiam, instantibus pariter super eadem re præfatis religiosis, qui demum prævaluerunt, vnde pro tunc tam sua quam nostra fuère suspensa. De qua re statim SS. Papam Paulum V. feci certiorem, à quo etiam fuit denuo præceptum prædicto Nuncio Apostolico, quatenus coram Rege, eiusq; Concilio circa prædictorum expeditionem rursus ageret. Iam verò classis nouæ Hispaniæ expeditione instante, & in eadem socij mei Iaponiensis Legati Iaponiam regressu, ne mea quoq; detentio ambitioni potius, quam animarum saluti forte imputari videretur: cum eo rursus 1617. redire decreui. Deo igitur opitulante in nouam Hispaniam tranquilla navigatione devenimus, vbi nauem quandam à præfato Rege Oxensi missam, quatenus nos ad se reduceret, nostrum ex Hispania reditum exspectantem inuenimus. Accidit autem ibi novum Insularum Philippinarum gubernatorem ex Hispania destinatum concurrere, qui navis qua suos milites transfretaret copiam non habens, petiit à nobis, vt simul ad præfatas quoq; insulas navigaremus, quæ à Iaponia non longo navigantibus

Mercenarii qui?

Insistunt & prævalent PP. Societ. Iesu.

Inde per Franciscanos avisatur Pontifex. Pontificis iteratum mandatum.

Expeditio, navigatio, expectatio ad regnum Oxu.

*intervallo distarent. Quod quidem libenter annuimus: comitantibusq; ventis secundis prosperâ navigatione 1618. ad prædictas insulas appulimus. Commodum verò tempus & secundum ventum, quo Iaponiam nauigaremus exspectantibus nobis, Piratarum Batavorum ad præfatas insulas applicantes naves, obsidentes portum, easdem infestarunt, donec elapsi temporis & ventorum opportunitate Iaponiam nauigandi recessit, anno 1619. sine opportunitate nobis devoluto. Igitur anno sequenti 1620. dum pro navigando secundos ventos exspectaremus, ecce ex Macam civitate Chinæ ad præfatum Insularum Philippinarum gubernatorem, simulq; ad Archiepiscopum Manilensem (est autem Manila in Philippinis præcipua & metropolitana civitas) à quodam religioso Societatis Iesu Didaco Valente literæ missæ venerunt quibus se Episcopum Iaponensem iam consecratum dicebat. postulabatq; enixè ne Iaponiam navigare permitterer, fore enim vt magna perturbatio, si cò venissem, in eius regni Christianis suboriretur, ipse enim religiosus Episcopus cognoscens (vt videtur) meam expeditionem per sua religionis alumnos sumtà occasione ex suborta Iaponiæ adversus Christianos persecutione, fuisse quidem impeditam atque suspensam post meum à prædicta Curia discessum, suam rursus per eosdem expeditionem obtinuit, quæ per viam Indiæ Orientalis ad prædictam civitatem Macam pervenit.*

Anno 1618. appellitur ad insulas Philippinas Piratæ Holandi.

Manila metropolis.

6. Iesuita Episcopus dictus petit impediri Franciscanos.

7. Iesuitæ linguæ ignari conantur eius peritos Franciscanos impedire.

*Cum autem neque Iaponicum idioma nouisset, nec principem aliquem pro se haberet, cuius favore Iaponiam transmeare, ibique assistere posset, sicut me novisse & habere cognoscunt, meum Iaponicum ingressum eâ, quam prædixi diligentiâ, per sua religionis alumnos impedire curavit: qui præfatas sui Episcopi literas Domino Archiepiscopo, ac simul gubernatori Manilæ tradentes, instanter, quatenus me delinerent, persuaserunt. Et cum magnum sit earum civitatum, Manilæ, Philippinis & Macam Chinæ invicem commercium, correspondentiaque communis, qui illis præsunt alternatim se observant, & in postulatis sibi deferunt. Ergo ne eo anno simul cum sæculari Collega meo Iaponiam navigarem, detentus fui: misi nihilominus mei Ordinis religiosos, apud me retinens Apostolicas literas, ad supra memoratum Regem Oxensem, eidem scribens & obsecrans, quatenus me ad se remeare curaret. Rex vero Oxensis auditis quæ Collega meus ei retulit de benignitate & magnificentia Apostolica & Regia, quâ suo nomine & Romæ & in Hispania & vbicunque fuerimus recepti, honore quoque & splendore quo ductifui-*

Rex Oxensis gaudenter excipit venientes Romà & ex Hispania.

*cti fuimus & reducti, gavisus est gaudio magno, Religiososque alacriter suscipiens, locum eisdem habitationis in sua Curia assignavit, ac de sumptibus necessariis iussit provideri, occultè tamen & cautè, ob commune Imperatoris adversus Christianos edictum, & maximè Religiosos, quo tamen non obstante, utrique, id est, Religiosi cum Christianis quietè & pacificè commorantur in eo regno. Insuper & sequenti anno misit, qui me Manilæ inviserent, & in suum regnum reducere conarentur, duos sui exercitus milites, quod quidem ipsi iuxtà iniunctum sibi praeceptum strenuè praestiterunt, navem & victus pro navigatione necessarios diligenter parantes. Sed quando conscendere properabam, detentus, captus, & impeditus fui: Milites verò cum sarcinis, & sine me ventorum etiam opportunitate compulsi Iaponiam mœsti redierunt.* & iis in sua curia locum habitationis assignat, occultè tamen. Capitur hic & detinetur F. Ludouicus ne pergat ad Regem Oxensem.

*Ergo cum mecum ipse cogitarem Manilæ constituto nullam Iaponiam navigandi sese fore copiam præstituram, inde exire contendi, sumpta occasione ex oblata opportunitate comitandi cum Domino Episcopo novæ Segoviæ in suam diœcesin properante, cuius auxilio in quadam eius diœcesis provincia (Pagasmam incolæ appellant) naviculam siveratem (quæ nostro communi idiomate Fragata vocitatur) extruxi, in qua cum quodam Iaponio religioso socio meo, & aliis quatuor sacerdotibus item Iaponiis (quos dum Manilæ commorarer, moribus & diuinis literis sufficienter instructos & tertii Ordinis de Pænitentia S. Francisci tribus votis emissis ordinari curavi) in præfatum regnum Oxense directè nauigare gestiebam.* 8.

*Verum & hoc ipsum per eos ad aures prædicti Gubernatoris Manilensis peruenit, qui iter nostrum impedire nitebatur: & quidem iam omnibus pro navigando paratis, strictum Gubernatoris ad ministrum Iustitiæ illius prouinciæ peruenit mandatum sub grauibus pœnis præcipientis, quatenus supra dictam nauiculam detineret. Nautis verò sub interminatione vitæ, ne eandem conscenderent, interdiceret, me autem Manilam reverti compelleret. Quo factum est, vt nauicula protinus interdicta, Nautæ verò ab illo portu & provincia eiecti fuerint, pariter ac relegati. Ego autem præfatum Episcopum ad suam vsque sedem sequi coactus, & quæ me Legatum esse à sede Apostolica receptum, vtque Iaponiam redirem expeditum attestabantur; Apostolicis literis ante eundem præsentatis, petij auxilium ab eo in forma ad comprimendum eos, qui me Iaponiam navigare impediebant: quod* 9. Nouum aliud impedimentum.

*vtique*

*vti que continuo diligenterq́ præstitit, eosdem comprimens per censuras: territus tamen ne hoc ipsum ægrè ferret Manilensis Gubernator, disposui, quatenus ego cum socio meo religioso Iaponio sub habitu sæculari navem quandam Chinensium Mercatorum, & quidem infidelium, qui tunc de illo portu & civitate nova Segouia Iaponiam proficisci parabant, sub titulo suorum famulorum conscenderemus, quod ita factum est, sed inter nauigandum præfati mercatores nos religiosos agnoscentes, veriti edictum & pœnas Iaponiæ latas aduersus eos, qui religiosos in suis nauibus transfretant, cogitauerunt aliqui ex ipsis mittere nos in mare aut certè occidere, Deo tamen ordinante aduersis ventis & tempestatibus impediti pariter & conterriti tantum nefas committere timuerunt: & quo nauigarent, vbi quoq́ essent ipsis nescientibus Iaponiam appulimus iuxta quandam civitatem Negasaqui propinquam Insulam ad finem occidentalis plagæ, in qua ante persecutionem assistebat Episcopus, eiusq́ incolæ ferè omnes erant Christiani, est omnibus nauigiis mercaturæ causa Iaponiam venientibus portus generalis, modò verò existit ibi Iudex ab Imperatore specialiter adversus Christianos & præcipuè Sacerdotes deputatus, ante quem nos præsentauerunt suprà dicti mercatores Chinenses, dicentes se fuisse compulsos in provincia Papagam è civitate noua Segovia, vnde nauigaverant, transfretare nos in sua navi.*

Tandem in Iaponiam appellunt.

Capiuntur & præsentantur Iudici Imperatorio.

10 *Ipse quoq́ Iudex & me, & quæ circa me Manilæ facta fuerant, tum per exploratores quos Manila habet occultè, tum etiam per Iaponios alios mercatores qui nos eodem anno 22. Manila præcesserant, satis apertè cognouit, sciens tamen à Rege Oxensi cum ipsius Imperatoris consensu Hispaniam & Romam missum me fuisse Legatum, cum suis ministris & assistentibus inito consilio decretum fuit, me cum Socio meo religioso, & alio seruitore in carcerem mitti debere in forma aliorum religiosorum (etsi etiam legatus, religiosus tamen eram) donec re ad ipsum Imperatorem delata, quid faciendum esset, ipse disponeret.*

11. *Statim ergò missi fuimus in carcerem Nagasaqui, deinde ad Omurensem saxis arctiorem carcerem delati. Contigit autem hic, vt mense Octobri prædicti anni 1622. cum præcedentis anni septem sub eodem Iudice in eademq́ civitate, & aliis circum locis 17. Religiosi, 8. Patres Dominicani, vnus Augustinianus & quatuor Franciscani, & Iesuitæ itidem quatuor, cum aliis 100. Iaponiis, quorum adiutorio vsi fuerant, & hospitio, illustre pertulerunt martyrium. Et quidem religiosi cum quibusdam ex Iaponiis igne cremati, siue vt*

Incarcerantur Nagasaqui & deinde arctius Omuri. Martyrio affecti 17. alii religiosi, igne lento, & 100. Iaponii Christiani pro fide.

*verius*

*verius dicam, igne longe posito assati, reliqui verò fuerunt capite truncati, nullo alio titulo & causa, nisi quod DEI essent sacerdotes, ministri Evangelij, & divinæ legis promulgatores. Mihi quoque, cum primum fui comprehensus, pari fuisset fruendum titulo, feliciq; supplicio, nisi prædicti Regis Legatus cognitus fuissem, in carcere tamen intenso adhibiti sunt custodes, qui magna vigilantia diu noctuq; assistentes, nullum hominem ad nos accedere, sed neque invisere quidem nullatenus p[illegible]unt.*

*Deinde prædictus Iudex iterum est in Imperatoris Curiam profectus, post cuius discessum comprehensi etiam à satellitibus duo religiosi fuerunt, alter ex Ordine Fratrum Prædicatorum, Frater Petrus de S. Catharina Martyre, alter verò è Societate Iesu, Michael Caravallo, & quidem ambo eximiæ virtutis viri, DEIq; Zelosissimi ministri, nobiscum in hoc carcere Omurensi tenentur inclusi. Est autem carcer grossis ex lignis compactus ad mensuram longitudinis palmorum septem, vndequaque patens, in modum caulæ bestiarum, in loco fœtido & vmbroso collocatus, ob idq; vermibus, colubris, aliisque reptilibus immundis & venenosis animalibus scaturiente. Sustentamur autem Typha cocta, quæ quotidie nobis mittitur in quadam parva mensura.* 12.

(Incarcerantur cum Sot. & alii.)

*Veruntamen in his & aliis incorporalibus incommodis largitur nobis DEVS ex sola ipsius misericordia & bonitate incredibilem consolationem, & vltrà quàm verbis exprimi possit, vberem lætitiam; neque enim tædio afficimur aliquando, nulla ve res molesta nobis videtur & adversa; quinimo dulcedinem nobis omnia & exultationem exuberant. Et quamvis quatuor simus sacerdotes, non ad omnia exercitia tantũ, verũ ad quotidiè celebrandũ habemus, subministrãtibus fidelibus, cũ ingenti vitæ periculo, quæ ad id necessaria sunt, alia quoq; variis artibus. Adeoq; divina mensa fruẽtes levamẽ inde singularissimũ, vnicũ verò ac totale remediũ reportãtes, carcerem non custodiã quidem, sed palatium quoddam regium, aut certè hortum potius amœnissimũ reputamus. Nihil autem aliud nisi pro DEO, & eius gloria vitam sive per ferrum, sive per crucem aut certè per ignem tradere desideramus. Quod etiam quantocyus fore confidimus. Vt enim per literas accepimus Iaponius Imperator, cum (informantibus Batavis Hæreticis) religiosos habitu sæculari indutos, ac inter alios mercatores occultatos Iaponiam aduenire cognovisset, vehementer iratus, quo omnes mercatores Christianos extraneos à suis regnis relegari præcepit, generale publicauit edictum, ad cuius executionem*

(Incarcerati sacerdotes celebrant Missam.)

(Maximam exinde percipiunt divinam consolationem.)

*præfatum iudicem à Curia iam descendere ferunt, cum speciali quoque ordinatione occidendi non solum nos, sed omnes etiam alios Christianos, qui à fide recedere recusarint.*

13. Duo religiosi per Hollandos capti, & capitaneus aliique igne cremantur.

*Sed & ipsi Batavi duos religiosos sub habitu sæculari in quadam navi mercatorum Iaponiam venientes comprehenderunt. Qui vtique cum capitaneo & aliis officialibus in ea navi venientibus igni traditi sunt. Hac igitur vna spe & desiderio sustentamur, illum iucundissimum ac felicissimum plane diem exspectantes, quando per proprium sanguinem cum divino auxilio effusum DEI divinitatem ac sanctissimæ suæ legis veritatem testificabimur. Ergo in eo felici statu quamvis indignissimus, ex sola tamen DEI misericordia constitutus, ego in filiis minimus tuis, & humilis creatura, quid desiderare humanum, aut quid nisi ea tantum, quæ me in conscientia obligare sensi, im, contendam? maximè cum Prædecessoris tui D. Pauli V. tenear obedientiam implere, qui à Romana Curia mihi discedenti præcepit, quatenus ipsum semper de omnibus tam propriis, quam huius Iaponicæ conversionis eventibus redderem certiorem. Et de meis quidem hucusq; relata sufficiant.*

14. *De huius autem Conversionis & Christianorum statu, & ad debiti obsequii absolutionem, & ad implorandam coram vero Patre primo ac benignissimo Pastore subventionis remedium nonnulla iam dicere oportet.*

Non solum per PP. Iesuitas, in Occidentali Iaponia, sed etiam per PP. Prædicatores & Franciscanos multi conversi sunt ad Christianismum. Non obstante generali Persecutione multi religiosi occultè remanserunt. Messis multa Operarii pauci.

*Notum sit igitur Sanctitati vestræ Catholicam fidem divinâ gratiâ in huius Iaponici Imperii non solum parte Occidentali, quo à principio venerunt, & vbi semper fuerunt religiosi Societatis Iesu; verum etiam in Orientali, vbi primum S. Evangelij prædicatores fuerunt religiosi Minores S. P. mei FRANCISCI, qui etiam vsque modò ibidem semper astiterunt, esse dilatatam, adeò, vt quanquam in vtrâque parte provinciæ, civitates, castella & loca penè sint innumera, in omnibus ferè & vbique aut sint Christiani, aut de Christianorum notitia saltem & auditus habeatur. Licet autem post ortam potentem persecutionem, quæ in Orientali & Occidentali parte habeantur erectæ Ecclesiæ fuerint funditus eversæ anno 1614. religiosi quoque omnes generali Imperatoris edicto relegati, plerique tamen illorum, proprias vitas, contra Imperatoris Edictum, contemnentes diversis in locis occultati remanserunt: quorum labore doctrinâ & exemplo fides in multis fidelibus integerrima conservatur, quin & ex infidelibus etiam plerisque convertuntur: cum tamen sit messis quidem multa & operarij pauci, &*

*ci, & persecutionis indies crescat austeritas, Luporum quoque DEI gregem infestantium rabies augeatur, oves quidem multæ devorantur, aliæ vero infirmantur, carentibus etiam quam plurimis victu doctrinâ & Sacramentorum Pastore. Quamvis autem ex quatuor prædictis religionibus religiosi nonnulli Manilia & Macamo inter mercatores occultati pervenerint, iustè dicere possumus: Et quid hæc inter tantos? præsertim cum neq; istis omnibus doctrinam Sacramenta & alia adiutoria spiritualia, prout illis est à S. sede Apostolica concessum, fidelibus administrare.*

15. *Cuius obstaculi est in causa, ingens aliquorum ex ministris contradictio & reluctantia, qui habentes Episcopum sui Ordinis religiosum assistentem (vt supra dictum est) in Macam civitate Chinæ eorum Provincialis qui Iaponiæ commoratur Episcopi Gubernator, Provisor & Vicarius generalis exsistit, cuius industria Iaponiæ regna, provinciæ & civitates inter suos tantum taxatæ sunt, & divisæ, & quidem cum prædicti vix vigesimum numerum compleant. Iaponicæ sex sunt supra sexaginta, provinciæ vero plusquam in illis 200 quibus permultæ correspondent capitales quædam civitates magnæ & populosissimæ, quibus per multum temporis non dico ministrare sed neque eosdem percurrere, aut certè valeant perlustrare. Quod si ad aliquam istarum quivis alius alterius ordinis sive Zelo Charitatis permotus, siue à fidelibus ipsis vocatus minister spiritalem eisdem consolationem & Sacramenta subministraturus accedat, postquam plurium, qui per viginti & amplius annos non sunt confessi, sed neque sacerdotem quidem viderunt, confessiones audierit, lapsui proclives confirmaverit, à fide iam elapsos reduxerit, nec non & infidelium plures converterit, cum primum hæc ad eius ministri, cui illa prouincia iuxta sui Provincialis commissionem competit, aures pervenerint, ecce è diverso consurgens, etsi ea prouincia maximè distet, ad eamque nunquam comperiatur accessisse, quam properè venit, ministrum prædicta facientem oppressurus opponens eidem, quod eo loco (quippe qui suæ Parochiæ sive dietæ sit) sacramenta administrare non liceat, neque vllatenus eum suis, quas dicit, ovibus occupari consentit. Quod si rursus minister instans obijciat: Cur, si suæ sunt, tot annis & temporibus pro derelictis habuisti? etenim talia fiunt occupantis; respondet, & vnde tu de hoc aut quare vexaris? siue etiam rationem à me petis? quid ad te de his, quæ tibi de officio non incumbunt, sicut mihi certum est convenire? Et adducens præterea Concilium Tridentinum, coram multis circum-*

Quærimoniæ contra PP. Iesuitas impedientes alios religiosos ne in tanta necessitate Evangalizent in illis partibus.

Modus & occasio oppositionis Iesuitarum contra alios Religiosos.

Disputatio mutua aliorum cum Iesuitis.

*stantiis legit illum locum, vbi præcipitur à S. Synodo sub excommunicationis sententia, ne vllus sacerdos administret Sacramenta in alterius Parochia sine Parochi consensu, sed neq; id solum, verum & Iaponio idiomate traducens idem publicè refert. Si autem dicat vlterius minister, hoc non de terris quidem infidelium & novis conuersionibus, nec de neophytis Christianis, sed in antiquorum principum terris Christianorum & circa antiquas Parochias atq; fideles intelligi debere: eundem tanquam transgressorem Concilij publicat, atque de eodem loco propellere curat: Christianis verò vllatenus admittere ac apud se habere interdicit: Quod si devotione ac pietate commoti aliqui admittant, vt siue confraternitatibus puta Rosarij, chordæ aut corrigiæ adscribantur, grauiter deprehensos, ac si Christiani non essent à se propellunt. In alijs verò locis, vbi prædicti communiter assistunt fideles, non solum alios religiosos admittere, sed neq; cum eisdem (nisi latenter & quasi furtivè) communicare audent: si verò sit aliquis vbi sit aliquandiu & occupetur, existente iam ibi multitudine Christianorum statim eò mittunt religiosum Iesuitam, qui se sui Episcopi vicarium autumans, vexat Christianos, & vt se cognoscant superiorem, cui obedire teneantur, compellit. Quæ res eò extremitatis pervenit, vt in partem etiam Orientalem (vbi nullus eorum prædicaverit neq; vnquam aliquando extiterit, sed religiosi S. Francisci primi Evangelium prædicaverunt, & ante persecutionem publicas Ecclesias cum licentia Imperatoris habuerunt, semperq; vsq; modo exorta persecutione extiterunt) adhuc in ipsis civitatibus & curiis Imperialibus, Surunga, quæ Imperatoris præteriti, & Gendo, quæ præsentis Curia est, licet plus trecentis Leucis à Nangasaquio (communi eorum residentia) distent. fuerit de illis missus, qui similiter vicarium se ibidem Episcopi publicavit; prædicta faciens & ministros antiquos maximè vexans. Pari modo Fratres Prædicatores ingressi sunt regnum Figea in Occidentali plaga, vbi prædicti ministri non erant, qui ingentem etiam fructum ibi crevisse videntes, illuc similiter se contulerunt. Similiter in supramemorato Oxensi orientalis plagæ vltimo, vbi hæc minima Creatura & servus indignus DEI gratia & auxilio primus fui sacerdos, qui illuc accedens Evangelium prædicavi, vbi etiam religiosi mei Ordinis pacifice habitant (factis iam Christianis in multitudine magna) cum primum me à sede Apostolica, & præfato prædecessore tuo designatum Episcopum & nondum consecratum venire deprehenderunt, ministrum ex suis eò etiam protinus miserunt; qui sui se Episcopi publicans Vicarium religiosos nostros perturbavit,*

Iesuitarum vlteriores oppositiones vehementissimæ.

In Dominicanorum Franciscanorum & Augustinianorum confraternitates Rosarii, Chordæ, Corrigiæ. Impedimenta varia a Iesuitis contra alios immissa.

Fastus intolerabilis.

Præsumtio & vsurpatio extra suam Provinciam.

Contra PP. Prædicatores Iesuitarum oppositio.

bavit, Christianosq; tantopere molestavit, vt S. Francisci Chordam abstulerit, recusantes autem dare à Sacramentorum communione excludebat. Vt verò alia omittam; hoc vnum compertissimum est, religiosos Iesuitas velle solos inter hos Christianos pro Dominis haberi, & vnicos patronos reputari, & hac de causa renuunt, neq; vllatenus permittunt, alios præter ipsos Iubilæa publicare, sive contos benedictos, aut imagines seu medalias, sed neq; haberi confraternitates, etiam ab Ecclesia approbatas, & ipsis ministris annexas, neq; Spirituale aliud quidpiam fideles provocans ad devotionem, & ad fidei augmentum valde conducens. Quod si aliàs ab aliis instituantur & publicentur, ipsi è vestigio fortiter resistentes pro viribus impediunt. Quando autem aliàs obstare non possunt (censuris & ipsi impediti) eos qui hæc admittunt (vt dictum est) saltem à se & à suis sodalitiis faciunt alienos, ad quæ omnia habet eorum quilibet Auctoritatem, & omnes prædicti Iaponiæ sunt sui Episcopi vicem gerentes. Quod si etiam ad prædictum vicarium Generalem siue Gubernatorem recurrentes alij petant in forma vt informationes iuridicas Fratrum suorum Martyrum, qui pro Christiana fide Martyrium subierunt faciat; nullo modo aut via eos recipere aut facere vult; cum tamen si de suis aut de Christianis à se baptizatis Martyres existant copiosas faciant informattiones & amplas relationes multiplicent. Si quid ab aliis magnificum, si quid gloriosum fiat, hoc ipsi annihilare, aut certè per varios modos & circumventiones decolorare contendunt. Si quæ Religiosi intentaverint, obsistunt, vel saltem inutilia esse proclamant: Si quæ scribuntur, ea quoq; pro falsis haberi conantur, aut certe passioni attribuunt. Quæ verò adversa ipsorum causâ evenerint quantumvis, quia publica negare non possunt, non ab ea quidem causa, sed ab indiscreto religiosorum Zelo, eorumq; imprudentia & cautionis defectu prorsus evenisse, ne, quæ verè fuit causa, patefiat, acclamant. Nolunt quæ ipsi primi non faciunt, ab aliis Religiosis inchoari; & licet tantum onus portare non possunt, aliorum tamen adiutorium recusant. Quæ sua sunt, ac per suos fiunt, ea vehementer magnificant, exaltant & publicant, in Sanctitate, in Scientia, in auctoritate non solum primi volunt reputari, sed neque æquales habere volunt. Et hæc quidem de Iaponiæ commorantibus tantum scribo, experientia enim ea comperi, & publica, notoria atque certissima habentur, sed tamen ipsi, vt alios à scribendo retrahant, quæ hic fiunt; iactant se in Curiis tam Romana, quam Regia habere Cardinales Prælatos, Proceres, Iudices, Alumnos & suæ religionis singularissimos Protectores.

Perturbantur & Christiani conversi propter Chordam S. Francisci, à communione remotis iis qui eam nolebant abiicere.

Omnes Iesuitæ sese Vicarios sui Episcopi qualificant.

Nolunt de aliorum ordinum Martyribus fieri iuridicam informationem, de suis autem & à se baptizatis multipliciter.

Nihili religiosorum opera faciunt.

Excusant sua, & suorum minus probant.

Volunt à se potius quàm ab aliis quævis inchoari, sua magnificant, exaltant, publicant.

Non agnoscunt sibi vllos in sanctitate, scientia & auctoritate æquales.

Iactant se de magnis Patronis Romæ, in Hispania.

 Ipsum

16\. Episcopum suum ipsi gubernant.

*Ipsum etiam Episcopum sibi faciunt esse subiectum: nihil enim praeter ipsorum placita, & ab ipsis ordinat a, agere liberè potest, (quod certissimum est) cuius autoritas & nomen ipsis deservit ad omnia ea quae sibi placent eius nomine & autoritate exequenda, & ad vexandos & opprimendos alios in dispendium animarum, & nihil penitus ad ouium vtilitatem suosq; actus excendos praestat: in ciuitate siquidem Macam constitutus est, & circa illius Ecclesiae gubernationem occupatus (cuius proprius Episcopus suorum industria fuit in Hispaniam vocatus, neq; ad suam sedem vnquam rediturus speratur) cuius autem vtilitatis omnibus Iaponensibus Macanensium gubernatio? aliisq; per suos facta praepeditio, ne dispersas congregent, ne congregatus pastu carentes pascant, ne quae de ouili Christi sunt ad illud reducant, & omnia alia spiritualia auxilia quae praestare possunt, impedire? Quid verò dicam (Sanctissime Pater) de scandalo, inquietudine, & perturbatione fidelium? certè verbis depredicare non valeo.*

17\. Christiani novi ista considerantes quidam vacillant, quidam scandalizantur, & à fide deficiunt.

*Cum enim sint tenerae plantulae videntes & audientes huiusmodi esse & fieri inter eos, qui vnum DEVM, vnam fidem, vnum Baptisma, vnum ovile & pastorem vnum annunciant; Charitatemq; siue amorem DEI & proximi esse finem legis divinae eisdem praedicant; videntes aliâs haec fieri in devotione tabescunt, in fide titubant, in charitate tabescunt, imò quod deterius est nonnulli à fide deficiunt. Infideles autem graviter scandalizati illudunt nobis & legem nostram irrident, dicentes: quod aut veritatem non docemus, aut certe pro vero non habemus, quod cum praedicemus, non observamus, nullumq; dicunt intercedere discrimen inter suos sacerdotes (quos ipsi Bonzos appellant) & nos quibus sicut assimilamur in multis contradictionibus ita etiam reverà doctrina nostra nihil differt à sua, quamuis verbis differre videatur. Alij dicunt duos esse DEOS, vnum diuitem & potentem, alium verò pauperem & humilem, qui à divite opprimitur & deluditur. Propter quae multi, qui aliâs Christianorum sanctam & iustam legem esse cognoscunt, à recipienda fide nihilominus retrahuntur. Quae proinde cum omni tempore nociua valde, & perniciosissima sint, hoc praecipuè persecutionis tempore longè venenosiora, & quàm alio quoq; tempore plus noxia. Huiusmodi autem contradictio semper fuit à praedictis facta aliis Religiosis ab initio sui ingressus in Iaponiam, & per varios modos continuata, de quo per nos & alios supradictus praedecessor Paulus V. cum certior factus fuisset, quae supra retulimus or-*

Duos esse DEOS vnum divitem scilicet & potentem, alterum pauperem à potente oppressum inde inferunt.

Huiusmodi contradictio à primo in Iaponiam ingressu duravit semper.

*nius ordinauit, præcipuè verò, vt alius ex Religiosis institueretur Episcopus, cuius industria & calore Religiosi protecti à vexatione liberarentur, sua quoque ministeria & actiones liberè exercere valerent; quod vtiq; si executioni mandaretur, fuisset sanè remedium opportunum.* Requireretur & alius Episcopus præter Iesuitam.

18. *Sed cum ex supra relata diligentia fuerit impeditum, redditum est remedium sine remedio, & pax sine pace facta est: quin imò prioribus contradictionibus noua superaddita est contradictio; Et enim post nostrum in Hispaniam reditum (videlicet sui Episcopi consecrati, & mei non consecrati) prædicti ministris qui sunt in Iaponia supradictam inter se fecerunt Prouinciarum diuisionem, quam antea non habebant, vnde & contradictio & oppositio Religiosis fuit multò quam antea durior & acrior, cum animarum dispendio longè maiori, cum Christianorum scandalo, dedecore sanctissimæ fidei nostræ & fidelium. Ego autem indignus & inutilis filius tuus, & si non consecratus, callens tamen Iaponium idioma, Regemq; Oxensem habens Protectorem, huic messi DEI vtcunq; proficere desiderans, & mandata mihi commissa sedis Apostolicæ implere, ex quo inde profectus sum Iaponiam redire ac (tametsi fuerim per varios casus impeditus pariter & detentus) tandem Iaponiam cum DEI auxilio perueni, sed ipso quoq; sic ordinante perueni in Carcerem vbi constitutus his & aliis quæ mihi à Religiosis aliis per literas deferuntur, obuiare & opponi non valeo, solummodo custodiam hanc DEI misericordiam magnam & sine vllis meis mentis præclarissimum donum & ingens beneficium reputabo. Gaudeo planè & in infinitum diuinæ erga me omnium viuentium vilissimum largitori congratulor, qui in tam felicem & eò præclarā sortem elegit, vt quam à Creatore vitam accepi, pro ipso reddam; ad quod me præparans [illegible] iterum mea conscientia secreta voluens atq; reuoluens inueni ibi [illegible] & negligentiæ, quæ me acriter quasi infidelem & seditiosum increpat, molestissimum accusatorem, nisi prædicta quæ publica in hoc Imperio manifesta & notoria sunt, tibi Domini Iesu Christi Vicario & in terris vice-DEO nota faciens scripta relinquerem, quatenus de his certior effectus de remedio prouideas conuenienti. Hoc igitur exagitatus stimulo compulsus sum hæc scribere, non aliud quidem, nisi meæ conscientiæ & obligationis satisfactionem, maiorem DEI gloriam, sanctissimæ legis eius promulgationem, & animarum salutem desiderans.*

Contradictio quàm antea acrior, ratione diuisionis factæ per Iesuitas.

Scrupulosa Conscientia.

19. *Quæ mihi à Prædecessore tuo fuerunt commissæ oues nondū permissus sum easdem videre, sed tamen (quoad potui) per alios mei Ordinis religiosos visitata vsq; adhuc & administrata, nimis multiplicata sunt, quos tibi,*

Commendat oves suas à sociis acquisitas summo Pontifici ipse captivus.
Philippus Fiaxecura post vxoris, filiorum & multorum conversionē & monitionem salubrē, piè defunctus qui fuerat huius scriptoris Collega & alter legatus.

*legitimo patri, primo & legitimo earum Pastori offero iterum atq; commendo, & quatenus illis quantocyus de pastore provideas humiliter supplico. Collega alter legatus Philippus Fiaxecura postquam ad prædictum Regem suum pervenit, ab ipso valdè est honoratus, & in proprium statum missus, vt tam longâ viâ fessus reficeretur, vbi vxorem, filios, domesticos cum multis aliis vasallis Christianos effecit, aliisque nobilibus hominibus consanguineis & propinquis suasit vt fidem reciperent; quam vtique receperunt.. Dum igitur in his & aliis piis operibus exerceretur ante annum completum post eius regressum magna cum omnium ædificatione & exemplo, multa cum præparatione suis filiis hæreditate præcipua fidei propagationem in suo statu, & Religiosorum in eo regno protectionem commendatam relinquens, pie defunctus est. De cuius discessu Rex & omnes Nobiles valdè doluerunt, præcipuè tamen Christiani & Religiosi, qui huius viri virtutem & fidei Zelum optimè noverant. Ab ipsis Religiosis, qui eidem sacramenta ministrarunt, eiusque obitui interfuerunt, & ab aliis sic per literas accepi.*

20.
Imperator Iaponicus intellecto ex Hollandis esse in sua aula Religiosos clam docentes, conquiri eos & alios, capique iubet, inter quos F. Franciscum Francisc. & P. Hieron. Iesuitam, & nobiliss. Dn. Iohannem Faramundum &c.

*Imperator autem Iaponicus adeo in Christianos, & præcipuè in DEI ministros excandescit, vt vltra prædictum relegandi è Iaponia omnes Christianos Mercatores Edictum, cum à Batavis insuper cognouisset aliquos sacerdotes esse occultos adhuc in sua Curia Imperiali Gendo, multosque ibi fieri & esse Christianos etiam de nobilibus, eosdem fecit diligentissime conquiri. Comprehensi igitur sunt duo Religiosi, vnus Franciscanus, F. Franciscus Galvez Hispanus, alius verò Iesuita, Hieronymus ab Angelis Italus, cum aliis quinquaginta & sex Christianis, quorum vnus D. Ioannes Faramundo nobilissimus, & ipsius Imperatoris propinquus consanguineus, cui iam olim eò quod Christianus esset, omnes digiti manuum & pedum fuerant crudeliter præcisi, crux etiam fronti candente ferro impressa, genuum quoque nervis similiter præcisis, ad maiorem verò sui pœnam & illusionem & aliorum nobilium terrorem sic dimissus.*

21.
Qui igne consumpti coram innumerata turba.
Quidam adolescens nobilis se ipsum in ignem proiecit.
Colligentes eorum cineres & carbones etiam igne absumuntur 1623.

*Nunc secundo cum præfatis Religiosis comprehensus tandem in fide constanter perseverans, spretis magno statu amplis divitiis, honoribus & pollicitationibus, Religiosi pariter & ipse cum aliis Christianis impio & crudeli igne assati & consumpti sunt coram innumera pene turba. Inde quidam adolescens nobilis & Spiritu Sancto motus, se Christianum esse proclamans, se ipsum mirantibus vniuersis in medium proiecit ignem. Deinde alij Christiani Sanctos cineres, carbones, reliquias colligentes deprehensi, eodē & ipsi ignis martyrio cum vxoribus & filiis etiam Christianis obierūt.*

Qui

*Qui omnes ferè 100. hilariter & lætissimè mense Decembri anni præcedentis 1623. illustre fidei testimonium reliquerunt. Multò quidem nobis tardius comprehensi, primi tamen agonem consummarunt & cum feliciter regnant. Erunt primi nouissimi & novissimi primi: tamen nos in præparatione degẽtes spem habemus. Veruntamen fateor Sanctissime Pater, multos esse Iaponiæ infirmos & imbecilles, qui metu persecutionum temporalium amittunt regna cælorum, quæ fortibus patent. Sunt nihilominus rarissimi, qui ex corde fidem relinquunt, adhuc autem qui & persecutionibus cedunt, vt plurimum sunt, qui doctrinæ pastu & sacramentorum fructu carent: nam qui iis potiuntur, & sacerdotum exemplo confortantur temporalia quoq; facilè despiciunt, vitam hilariter tradunt, & qualibet etiam crudelissima tormenta pro Christo Domino, & eius fide sustinent. Terram ergo, quæ sic semen sibi commissum conservat & vsq; in centuplum multiplicat coli sanè & cultivari dignum est. Quis enim Iaponicam gentem despiciat, quæ decoris margaritis & gemmis pretiosis ornat regna cælorum? Mittas igitur suppliciter obsecro, & instanter supplico operarios fideles, & sic mittas & disponas, quod ab invicem à labore non præpediantur, hoc est binos, prout Dominus misit discipulos suos ante faciem suam, id est pares & æquales in omnibus & pacificos.*

Petit à Pontifice mitti binos & binos, id est, pares & pacificos.

22.

*Inæqualitas enim inter eos, qui circa idem occupantur, generat rixas, quemadmodum fuerunt exortæ inter pastores Abrahæ & Loth: primi enim maiores reputari conabantur, & vt tales alios vexabant. Oportet facere æquales omnes Religiones in messe Iaponica laborantes: alias rixæ non cessabunt, aut de nulla sit Episcopus, sed omnes pariter vtantur & privilegiis sibi à sancta sede Apostolica concessis in fauorem conuersionis infidelium pacificè, & sine contradictione fruantur: aut certè ab vna quaque vnus Episcopus assignetur. Messis quidem iam congregata multa est nimis, & per totum Imperium Iaponicum dispersa & quomodo tanta omnium sit per vnum Pastorem vnius Religionis alumnum in Iaponia non existentem, neq; suis actibus & auctoritate vtentem poterit sufficienter administrari? præsertim cum per illum ea, cuius est Religio aliâs vexare impedire & supplantare contendant.*

Vt omnes æquales in ista messe sint, nec Episcopus sit alicuius ordinis, vel habeat vna quæque Religio suum proprium Episcopum.

Rationes ad hoc.

*Quod si de vna quaq; Religione cõstitueretur Episcopus deferrent quidẽ sibi honorẽ invicẽ prævenientes, meliora Charismata alternatim & charitative æmulãtes, vnusquisq; illorũ alios Religiosos propter suorũ honestam correspondentiam pacificè & benignè reciperet, tractaret, hospitaretur. Ad reputationem etiam sanctarum Religionum & ministrorum, imò vt ipsius quam*

*docent doctrina, tàm apud Christianos, quàm apud Infideles auctoritatem ad communicationem & conferentium rerum grauium id ipsum videtur conuenientissimum. Sed id præ omnibus necessarium vt prouideatur huic gregi tam de pastoribus, quàm de Canibus vigilantibus, qui per se ouibus assistentes vbertim eisdem & fideliter prouideant de abundanti pastu spirituali, earum compatiantur laboribus in luporum conflictu protegant, vitam quoq; pro ipsis, si oportuerit, dare non dubitent; Iaponios ipsos prout libuerit docentes exemplo formantes, & ad actus superiores instituendi & informandi populum, nec non ad Religionem, & ad SS. Ordines recipiendos disponentes. Etsi enim terra fertilis & messis disposita sit, deficientibus operariis aut paucis existentibus, certè aut inculta manebit, aut fructus reddet exiguos. Imò tametsi sterilis esset rebus, vt nunc profectò, si Iaponia semen & satores multiplicentur copiosissimum in horreum Domini segetes congregabuntur, nam diffusus vbique plurimorum martyrum sanguis, constantia eorum, & fortitudo tum in temporalibus contemnendis, quam in perferendis cruciatibus multorum animos, mentesq; illuminant, maximè principum, qui ferè omnes ægrè ferunt Imperatoris contra Christianos legem & rabiem, & iniustam esse sentiunt, quantumvis propter illius respectum, Christianos persequantur. Et quemadmodum in primordiis Ecclesiæ Spiritus Domini fideles confortans ad subeundum Martyrium, & viam perfectionis amplectendam, sic etiam modo in Iaponia primitiis hos videmus Christianos ad eosdem actus disponere in tantis tamq; illustribus Martyribus, & in quibusdam aliis, qui statum iam Religionis & viam arctam perfectionis aggressi, ad ipsum vsq; sacerdotium, & sacri verbi prædicationem Christiani populi instructionem & Sacramentorum administrationem peruenerunt. Quos sanè in virtute constantes, in exemplo fideles, in labore & fructu vberes experimur. Quomodo ergo poterit tam immenso populo de ministris Religiosis tantum Europæis prouideri? & qua ratione isti sibi possunt circumquaque discurrere? Hoc maximè persecutionis tempore, & quia statim cogniti à satellitibus comprehendantur, animarum necessitatibus subuenire? præcipue cum & facies eorum valde nota sint, & distincta, & Christiani quoq; ipsi eosdem, ne discurrant, abscondere, detinere, & occultare procurent. Iaponii quoq; sacerdotes libere quocunque discurrunt & proximorum necessitatibus subuenientes inter ipsos & persecutores securè administrant adhuc in Carceribus & custodiis incogniti suum exercent ministerium, debiles confortantes, fortes consolantes, infideles propriis sectis & erroribus facilius & vberius confutatis efficaciter conuenientes, in verbis prom-*

Iterum petit multos operarios.

Principes ægrè ferunt tyrannidem Imperatoris, cui licet obsequantur.

Fructus maximus istorum laborum.

Iaponii etiam vtiliter allaborant.

promptiores, in modo arguendi & convincendi exercitatiores, cum suis nationalibus concurrentes adinvicem in iis quæ docent magisterij transferentes, energiam cum plausu apud suos reperiantur.

Quæ faciunt ipsi, quantumuis difficilia alij, etiam suæ Nationis, imitari conantur auidius timore eosdem amore & honore prosequuntur, & in sua specie, sicut cætera bruta leones maiores, & excellentiores. Quemadmodum enim sacerdotes Europæi ad magisterium, doctrinam & fundamentum huius Christianitatis sunt omninò necessarij, ita quoq; Iaponios sacerdotes & ministros, tam persecutionis tempore, ad Tyrannorum rabiem retundendam, quam etiam in pace tranquilla ad communem & generalem administrationem (quæ in tantum cresceret quantum fuerint multiplicati ministri) necessarios quoq; censendos existimo. Vbi autem, qui per se ipsos hæc videant & experiantur, necessitatem animarum cognoscant, dispositionemq; Messis attendant, Episcopi non sunt, certè neq; instrui sacerdotes, neq; de necessariis Vineæ Domini valet provideri. Profectò sancti Dei Apostoli Orbis terrarum à Christo Domino fuerunt Patres, Pontifices & Doctores: fundamentum quoq; novæ ipsius Ciuitatis descendentis de cælo, duodecim discipuli agni fuerunt supra quos erectum est fastigium Ecclesiastici ædificij, cuius caput constitutus est S. Petrus, & eius successores; ossa verò & nervi corporis mystici Christi Domini sunt Episcopi, sacerdotes & Magistri. Quomodo igitur in hoc novo orbe nascentur filij atq; nutrientur sine Patribus? aut qua ratione hæc nova Hierusalem extrui, eiusq; fastigium erigi poterit sine fundamentis? vel qua etiam arte sine ossibus & nervis fiat huius mystici Corporis apta compagatio. Inspice, suppliciter obsecro, sanctissime Pater, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est. Etenim vinea nostra iam floruit fortissimis Martyribus, & quamplurimis etiam Confessoribus, qui bonorum rapinam, membrorum amputationem & alia pro fide ludibria passi, adhuc à tyranno relicti sunt viuentes, quamuis alios retrahit à fide, viuentes in tanta eos nunc abiectione, opprobrio & miseria inter leprosos constitutos, qui fuerant antea nobiles & magni. Tempus etiam putationis certè istarum inutilium quæstionum & dissensionum advenit: Grossi nostri dederunt odorem capacitatis, virtutis, Constantiæ & fidelitatis. Profectò cum Gens Iaponica ingenio polleat & incessanter salvationem inquirat, lex quoq; divina & prædicatio Evangelica ratione naturali (quam Iaponij optimè admittunt) sit maximè consentanea, eandem per 70. & amplius annos Iaponiæ prædicatā, communiterq; à literatis hominibus (præcipuè nobilibus) pro sancta & iusta iudicatam,

Iaponios ipsos esse aptissimos ad ministeria sacra.

Iterum petit dari Episcopos.

Amputandæ quæstiones & dissensiones.

Rationes cur à 70. iam amplius annis, in Iaponia creverit Religio Christiana.

*& suis sectis atq; doctrinis longè rationabiliorem habitum & superiorem, nos plus crevisse & profecisse, mirum est. Cuius rei quamvis nobis sit occulta causa, non tamen à ratione alienum est, dicere ex eo fortasse provenire hoc, quod corpus hoc mysticum ossibus caret & neruis, sine quibus prædicatio & doctrina (quæ crescit & augetur) non ita abundanter ministratur, neq; efficaciter operatur. Religiosi enim sine Episcopis, nervi sine ossibus sunt: nam illi ex sola Charitate laborant, isti ex Charitate simul & obligatione: Religiosi vadunt & redeunt, vel saltem possunt ad operatione manum leuare: Episcopi etiam inviti, neque manum ab aratro retrahere, neque retrò possunt aspicere, sed gregi tanquam rationem pro eo reddituri omninò debent insistere, illi vt nutrices sunt, isti vt veri Parentes. Religiosi primò & principaliter regularibus institutis, & religiosis obseruantiis insistunt; Episcopi verò primitias suæ activitatis, curæ & intentionis in suo grege pascendo, nutriendo, augendo & recreando constituunt. Illi quidem sunt arbores valdè fructuosæ, quo aves Cæli concurrunt & commorantur, doctrinæ plures, & exempti vberes fructus excedentes; isti verò sunt montes excelsi, quorum pinguedine diversarum arborum multitudo coagulatur, & pulchritudo conservatur, scientiæ & disciplinæ flumina, doctrinæ fontes & aqua largissimæ honestæ educationis & conversationis exeunt, & ad subditorum valles effluunt, metalla quoq; & copiosissimæ Virtutum gemmæ ex eminenti loco plus splendoris emicant, & lumen supra candelabrum positum lucet omnibus qui in domo DEI sunt, in his sanè montibus radij divini splendoris prius & efficacius eluent, vt facienda cognoscant, & influentia cælestis auxilij ad eadem facienda copiosius communicetur. Et sicut aliis in magnitudine potestatis spiritualis, & in altitudine dignitatis eminentius præcellunt: ita eminentiori quodam modo reguntur & confortantur à DEO, qui dedit eis talem potestatem in ædificationem. Montes inquam sunt, in quibus beneplacitum est DEO habitare in eis, vt sic corpus suum mysticum obcrescat & civitas cælestis abundantius et vberius de necessariis provideatur; eumque ad illos frequentior est recursus plus confidentiæ, subiectio quoque et obedientia promptior: sunt enim Apostolorum successores, quibus DEVS dixit: Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi, per quos fides seminata crescit, augetur, et vberes fructus vbique reddit, sine illis ergò apostolica deficiente influentia, non mirum est si Iaponiæ segetes, tardæ et paruæ sint, et infæcundæ vsque modo per tot annos colligantur.*

Episcoporum manus aliud, aliud Religiosorum.

Episcoporum dignitas & munia.

*ligantur. Sed quid si aliquis ministrorum DEI scandalosus existat & Apostata? aut alij mali perversi sacerdotes de multitudine illorum insurgant? quid inde? sic fuit ab initio: quia inimicus homo, superseminauit Zizaniam, cum qua & triticum simul crescere iussit Dominus. Et Apostolus Paulus prædicens, ex ipsis DEI ministris perversor viros fore insurrecturos per eosdem Electorum probationem fidei dixit. Neque Iudas Apostolatum evacuerit, neque multi hæretici Prælati & magnates regale sacerdotium maculavere, aut impedierunt, neque etiam quam plurimi scandalosi Religiosi præteriti & futuris sanctum Religionis statum præpediunt, neque æquum est malis futuris impediri imminentia bona, quin potius in bono malum vincere docemur. Christus Dominus multos Sacramentis sanctis male vsuros fuisse, maximaque illa perpetranda sacrilegia & horrenda delicta exactissimè præcognouit, ea tamen instituit & vt dicit D. Augustinus prælegit Deus de malis bona facere, quàm mala nulla esse permittere. Si Opus Dei & prædicatio Evangelica facienda est per homines, & isti in iniquitatibus concepti sunt, quid mirum, si in præclarissimo opere occupati lutum inveniatur aurum? Veritas æterna dixit; oportet esse scandala, quia oportet verbum Dei etiam per homines seminari, sed tempore messis Dominus combustâ Zizaniâ triticum inter illam multiplicatum mittit in horreum suum. Et quid si inter ipsos etiam Episcopos quæstiones & nova iurgia oriantur? certe de futuris ne oriantur institutionis tempore apostolica dispositio, Diæceses taxando, & debitum ordinem præsignando providebit. Iam verò exortos, & quæ modo tantopere impediunt opus Dei sine illis sedari posse impossibile videtur, & qui Episcopos institui refugiunt, quæstiones semper habere volunt, sicut autem Iesuitæ ingressum aliarum Religionum Iaponiam impedire, imo præcludere volentes coram gloriosæ memoriæ Domino Gregorio XIII. prædecessore tuo id ab ipso ordinari necessario dixerunt, nam si forte diversi Religiosi Iaponiam ingrederentur futurum esse maximi impedimenti ad promulgationem fidei: cum enim Iaponia multa & varia sacerdotum differentia, si hoc ipsum esse inter Christianos deprehenderit, despicientes Dei ministros, doctrinam nostram ad omnino non audituros, aut certè eandem esse nostram & suam existimaturos: ipsis quoque Religiosis inter se tam circa Doctrinam, quam circa alia (per quæ suis Bonzis seu sacerdotibus similes eos iudicarunt) infideles & novos Christianos valdè scandalizandos potius fore, quâm ædi-*

Propter quosdam malos non sunt abrogandi Religiosi & alii ministri.

Disponendæ seu discernendæ Diæceses pro beno pacis inter Episcopos.

Iaponenses ingenio pollentes facilè aliter per experientiam iudicant, quam initio Iesuitæ prætexebant, ne alii quam ipsi in Iaponia Religiosi venirent, qui in diverso habitu, in ordine in doctrina & moribus optime conteniunt.

Rigore vitæ cæterorum docentium humilitatem, paupertatem, contemptum temporalium bonorum.

*ficandos. Sed tamen postquam Deo disponente aliæ Iaponiam Religiones ingressæ sunt, reipsa & in veritate contrarium omnino expertum est: Nam Iaponenses ingenio polleant, & quæ nova viderint, diligenter scrutentur, videntes aliarum Religionum varios religiosos, quorum alij ab occidentali navigauerint, etiamsi diversæ nationis distinctæ religionis, differentis habitus, & alterius sint instituti: quidam necessaria habentes, alij mercaturam etiam exercentes; alij omnino pauperes & mendici vt Minores, quidam honestis; alij hispidis & resartis vestibus vtentes, & nudis pedibus incedentes, quos tamen eandem omnino legem, & invariabilem doctrinam prædicare, profiteri, & obseruare dum cernunt, per hac veram & certissimam viam salutis, & salutis æternæ hanc esse cognoscunt: ó vt talem multo plures eam admittunt & in communi venerantur omnes, maiorq; fervor & devotio inuenitur nunc in fidelibus per exempla viua & vitam rigidam Religiosorum ad pœnitentiam, mortificationem & Christi imitationem maximopere commoventur (Augustiniani enim & nos excalceati sumus, dominicani verò de reformatis Philippinarum.)*

*Nam si Christum prædicant humilem & pauperem, & terrena despicere; docentem ipsum quoq; vident imitari & eadem facere quæ aliis prædicant & suadent. Quod quidem & in ipso effectu cognoscitur: nam ante ingressum Religionum in Iaponiam cum persecutiones fuerint à Tyrannis inflictæ, nullus tamen Religiosorum in venitur occisus, aliorum verò martyres nulli ferè fuerunt: imò integra provincia iam reducta per suorum principum nudum præceptum fidem facillimè relinquebant: ex quo verò religiones ingressæ, & primus Commissarius noster cum sociis Crucis martyrium subijt, multi & alij illustrissimi martyres pro fide passi sunt: & hi quidem non religiosi tantum, sed & de Christianis totius ætatis & sexus quamplurimi, magnos tolerantes cruciatus, in quibus præclara facinora, divina responsa, & admirabilem constantiam Principes & persecutores experti sunt, quos vtique iam fortiter despiciunt fideles, etiamsi ob maiorem rabiem & crudelitatem ostendendam eosdem plagis casos, delusos & vivos relinquant.*

Gravissima martyria â Christianis perpessa sunt, ipsis principibus & infidelibus prædicatio efficacissima, vnde fit multos converti & suas sectas contemnere.

*Quod tamen ipsis Principibus & infidelibus omnibus efficacissima prædicatio est, quæ vtique inspecta & Religiosorum aspera & inculpabili vita, infatigabili sollicitudine, intrepidis & vniformibus animis docendi, & diuinam legem suadendi consideratis eandem legem nostram fatentur veram & bonam, suas verò sectas & sacerdotes despiciunt, & irrident, videntes tot esse sectarum differentias, quot sunt sacerdotum va-*

*tum varietates. Religiosi etiam trium prædictorum ordinum maximam inter se habent vnionem & charitatem adhuc in temporalibus seipsos adiuvantes, & in necessariis communicantes: præcipuè vero in ministerio suadentes, quatenus omnes Religiosos & sacerdotes pro eodem reputent, sicut & eandem prædicant doctrinam. In docendis id ipsum sentiunt & obseruant amplectentes communem & vbiq; receptam & approbatam doctrinã in nihilo penitùs discrepantem: quod si discrimen aliquod & alteratio est, nõ inter se inuicem, sed cum Iesuitis est: Ipsi enim nonnullas Iaponiæ sententias sequũtur, quæ nullibi exercentur & in ipso adhuc rigore scholastico sunt plusquam dubia, v.g. Catechumenos de vsuris antea factis restituendis, aut componẽdis ante Baptismum non admonent, sed postea ad confessionem referunt, & idem de male habitis & de seruis iniustè possessis affirmant. Antequam rudimenta fidei noverint Catechumeni, eos cõmuniter baptizant, & cum sola aqua sine oleis sanctis. Extra casum necessitatis licentiam communem concedunt non sacerdotibus sed ipsis etiam secularibus omnes quos suadent baptizandi, quos vbiq; ad baptismum disponere & actus supernaturales fidei diuinæ & contritionis suadere penitus ignorant. In accommodatis 30. aut viginti, pro 100. etiam dato pignore ob consuetudinem & officium tollere permittunt. Antea non diaconos & necdum ordinatos publicè in Missa solemni & in pulpito Evangelium populo prædicare faciebant. Circa concurrentiam Christianorum cum infidelibus in aliquibus actibus & consuetudinibus multum quidem variamus; in aliis verò, quæ minora sunt, quia Religiosi his opponuntur, & contraria faciunt, & Christiani vehementi affectu eos plusquam alios venerantur, diligunt & obseruant, contradictio illis fit, & repugnantia, non quidem à se invicem, sed ab ijs qui in Iaponia soli esse cupientes dixerunt etiã Pontifici dissensiones & differentias Iaponiæ esse futuras, si aliæ Religiones huc ingrederentur. Sic similiter propter quæstiones inposterum inter ipsos Episcopos oriundas, eorum (aliàs huic tantæ messi necessariam) institutionem recusare, iam exortas nolle sedari & remedium potius impedire est quàm futura timere. Si ergo hinc scandali causa oriunda imposterum inter Religiosos quæstiones (quæ vsq; modo non fuerunt) assignabantur & impedimentum fidei, & Evangelicæ prædicationis ita timebatur magnum esse futurum, vt propter hoc Religiosis in Iaponiam aditus impediretur: quomodo nunc non oriundæ quidem & futuræ quæstiones: sed præsentes & exortæ, de quibus non futurum scandalum timetur, sed præsens (& magnum illud quidem, tam inter*

Franciscani Dominicani Augustiniani optimè inter se conveniũt.
Altercationes verò oriuntur ex parte Iesuitarum.
Iesuitæ non monent restitutionem vsurarum ante Baptismum, sed postea in confessione.
Nec vtuntur sanctis oleis, sed tantum aquâ, cum baptizant.
Permittunt extra casum necessitatis Laicis ignatis conferre baptismum.
Permittunt dari 30. vel 20. pro 100. & accipi in accommodandis etiam dato pignore
faciebant antea cantari Evangelium in Missa solemni & prædicari per non ordinatos in diaconos.
Qui Iaponiæ soli esse cupiunt dixerunt, Papæ dissensiones esse ibi futuras, si aliæ Religiones eò ingrederentur.

similiter inter Episcopos,

*inter Christianos, quam inter infideles ortum inspicimus, & impedimentum prædicationis & fidei non futurum, sed actu iam existens cum ingenti animarum detrimento, & ipsius fidei ludibrio experimur: non erit causa sufficiens realis & verior, imo & obligatoria ad te Sanctissimum Patrem recurrendi, reclamandi, & remedium deposcendi cum fundamento Veritatis & necessitatis tanto maiori, quantum plus habent præsentia quam futura, & humiliter supplicandi vt per Episcoporum institutionem non damna futura sed iam præsentia mala ex prædictis quæstionibus suborta diluas, & de competenti remedio provideas non quidem operariorum aditum ad messis laborem impediendo, sed modum & formam, quatenus de multis & bonis operariis abundantius messi provideatur, potius assignando cuique sicut Religiosorum ingressus (de quo antea timebatur) tantum profuit, quantum ipsa nunc experientia comperitur, sic tanto plus etiam ad ministrorum pacem & fidei augmentum, proficiet institutio, quanto eorum auctoritas, eminentia & maior est dignitas efficaciores actiones, actusque præclari. Sunt enim Ecclesiæ ossa neruis in omnibus subvenientia & notabiliter excedentia quæ suos proinde est necessarium effectas determinatos habere: Quid vero de reditibus & congrua sustentatione Episcoporum? Novimus certe Christum Dominum pauperes elegisse primos, & hos etiam à fidelibus oblata & ad ipsorum pedes deposita, aliis ministranda tradidisse, vt ipsi orationi & verbo Dei expeditius instarent, suisque coadiutoribus & successoribus, nihil aliud præter potestatem spiritualem tradisse: antiqui quoque Patres nihil cum Ecclesiis nisi onus & donum spirituale recipiebant, quin potius paupertatis amatores austeritate vitæ, morum integritate & gravitate Doctrinæ divitias constituentes & honorem, commissum sibi gregem fideliter administrabant, Ecclesiam Dei augebant, quam suis illustrarunt Exemplis, & scriptis ditaverunt. Sic Irenæus, Polycarpus, Damascenus, Basilius, Gregorius Nazianz. Taumaturgus vterq. Cyrillus, & multi alij, qui specialiter de paupertate gloriabantur. Et quemadmodum sancti Martyres, dexteram columnam Ecclesiastici construunt ædificij, sic & ipsi præclari Pontifices sinistram extruunt. His ergo innixa principiis & fundamentis Domus Dei ita firmiter est ædificata, quod portæ inferi non prævalebunt adversus eam, talis namq. debet esse hæc nova domus DEI, quam Iaponiæ volumus ædificare, tum præclaris ornata martyribus, quam Apostolicis condecorata Episcopis, & in cunctis venustissimis nationibus resonet nomen eius, cuius initia primitivæ assimilan-*

Petitur provideri de remedio præsentium malorum, per institutionem Episcoporũ.

Et de multis operariis provideatur, cum Religiosi iam multum profuerunt, quorum eminentia & dignitas maior amplius boni producit.

Exemplum primitiuæ Ecclesiæ ad- [illegible]

Exempla etiam doctorum aliquorum Irenæi, Polycarpi, &c.

Nota illustrissimi pauperes.

assimilantur Ecclesiæ. Nunc enim Iaponiæ fremunt gentes & populi meditantur inania adversus Dominum, & aduersus Christos eius, qui in montibus & speluncis & in cavernis terræ, aut certæ in abditissimis receptaculis ex industria in Domibus fidelium factis absconduntur. Non vtique indigent apparatu, neque reditibus his quidquam deferunt annales, qui pane lachrymarum, & ferè semper insulsis cibis & modicis alimoniis vtuntur & sustentantur. Dum hæc fiunt & hyems est, Religiosi Iaponiæ Episcopi à sua Religione, & à Christianis sicut alij religiosi sustentabantur, & hilariter quidem, vt à tantis vexationibus liberentur, & liberè opus DEI valeant exercere. Cum verò soror nostra (quæ modo parvula est, & vbera non habet) crescentibus quoque vberibus abundabit & lacte, tum veritatem Reges intelligent, hinc erudientur qui iudicant terram, non de fide solum, sed de Ecclesiastica etiam dignitate. Ad hoc autem assequendum, eadem Iaponiæ, quæ in Ecclesia primitiua adhibenda sunt media, sine quibus vtiq; ad ipsum perveniri non potest, principiis semper occupatis & impeditis sine fructu vberrimo magnificante lætitiam. Media inquam ad corpus hoc confortandum & convalidandum, sunt compaginare ossa, hoc est, Episcopos & pastores tales instituere, vt per se corpori assistant, eidemq; maximè in adversis coadiuventur, quos vtiq; dum Metropolitanus hic non fuerit, Macanæ & Malinensi Ecclesiæ oportet suffraganeos, tum quia propinquiores sunt, & per illam occidentalem plagam transeuntes, dum Iaponiam petunt, per singulos annos communicant, & se inuicem agnoscunt, tum & quia alia Metropolis Boënsis Ecclesiæ valde Iaponia distat, & nulla Religiosis est cum illis communicatio & cognitio: præter solos Iesuitas, qui per orientalem illam plagam venientes eam cognoscunt, & cum ea communicant; & cum Lusitani sint, noua Castellanis impedimenta valebunt opponere, quæ si Castellani de nouo instituti ad suos qui in occidente sunt, & Lusitani ad suos qui in occidente habitant reducantur, omninò cessabunt.

Sed quis est iste, qui involuit sententias sermonis imperitis? de me dici posse timeo. Nullus sanè alius nisi humillimus seruus, qui coram Legitimo Domino de Vinea necessariis ipsum tremens informat, aut minima creatura, quæ coram suo Creatore incommodus remedium quærit, siue parvulus discipulus, qui coram vero Magistro ea recitat, corrigendus quæ memoria didicit, vel certè filiorum minimus, qui coram piissimo Patre prostratus, quatenus de illatis molestiis protegatur, & liberetur, recurrit ad ipsum, & quidem confi-

*denter nimis, tum quia Dominus, Creator, Magister & Pater est; tum etiam quia non mihi consulo, sed Vineæ Domini mei, non pro me, sed pro hac Ecclesia pugno, & quidem aduersus eos, qui potentes sunt, ego autem valde infirmus, & incarceratus, pro Christo tamen, & nihil de humanis desiderans, sed solam veritatem defendere atq; iustitiam. Nihil de supradictis conscientiam remordet; nihil enim scripsi nisi publica & manifesta; & hæc quidem in vltima quasi vitæ hora penè constitutus, & (vt dixi) ab interiori compulsus. Tu vero Sanctissime Pater sapientiam habes sicut Angelus Dei. Hæc audiens de illis iudica, quia in prima sede es, quò in similibus recurrere tenemur: & tuis pedibus provolutus, vt citius, quæ videbuntur opportuna disponas, suppliciter & humiliter expostulo. Quidam ferunt Regem Oxensem, iam me fuisse incarceratum, cognovisse, velleque cum Imperatore de mea agere libertate. Si res ita se habet; non libertas vtique sed nova captivitas & laboriosa peregrinatio mihi paratur: hoc tamen certum non est, imò certius existimo pro Christo Domino traditurum cum Sociis. Hoc solum instanter exspectamus; Veruntamen sicut fuerit voluntas in Cœlo, sic fiat & in terra istà inutili, invia & inaquosa. Quid faciendum sit statim cognoscet Sanctitas Vestra, cuius benedictionem humiliter peto, quem multis annis Ecclesiæ suæ DEVS conseruet incolumen. De hoc Carcere Iaponio Omurensi 20. Ianuarij Anno 1624.*

Concordat in omnibus cum suo Originali, quod apud me habeo, præter quædam quæ N. 15. iusta de causa, vel delata, vel mutata sunt, quoad verba, non tamen quoad sensum: quin aliquod vel minimum verbum sit supperadditum. Quod ita esse affirmo in verbo sacerdotis. Sic subscriptum Frater Didacus Collado Ordinis Prædicatorum.

FR. IVNI-



# FR. IVNIPERI DE ANCONA MINORITÆ CONSVLTATIO &c.



Vm haud pridem Superiorum meorum iussu ab extremis Mundi finibus, id est, ex Iaponicis Insulis, Deo duce, feliciter in Hispanias, ac paulo post Romam appulsus, res mihi à Iaponica Christi Ecclesia mandatas eminentissimis Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, Generalibus Hæreticæ prauitatis Inquisitoribus, tradidissem: ita mox res tulit, vt Superioribus meis visum fuerit, nonnullorum grauissimi momenti negotiorum causa me in Galliam & Germaniam legare: quod ego onus recusare nefas duxi, tamquam Obedientiæ filius, cui iussa capessere fas est, nihilque prorsus liberæ voluntatis relinquitur. Quin etiam cum voluptate aliqua hoc iter sum ingressus, quod iam animo fingebam & imaginabar, coram in re præsenti meis me oculis vsurpaturum, quæ apud Iapones & Hispanos gloriosa mihi dicta fuerant à Reuerendis Patribus Societatis Iesu de rebus suorum præclare gestis, quemadmodum scilicet illorum magna auctoritate, doctrina, prudentia & assidua cohortatione apud Sacratissimum & Religiosissimum Imperatorem Catholicosq;, Imperii Principes & Ordines perfectum fuerit, vt multæ & ingentes prouinciæ ab Hæresi expurgatæ & ad Ecclesiæ Romanæ complexum octoginta annorum interuallo reductæ, magnus Episcopatuum & opulentissimorum Monasteriorum numerus ex Acatholicorum manu recuperatus, & iam vniuersa fere Germania Catholica facta fuerit, nec verborum satis inueniat, quibus gratias condignas agat Societati Iesu, omnium bonorum suorum præcipuo post Deum auctori, quibus ego nominibus non parum sæpe

mirifice exhilaratus, & Iesuitis de tanto maximorum meritorum planeque Heroicorum facinorum cumulo ex animo gratulatus fueram. Sed proh dolor! *versa est in luctum cithara mea.* quoniam meo in Germaniam aduentu omnia longe aliter, ac spe præceperam, habere se inueni. Primum enim ne vna quidem prouincia, atque adeo ne Ciuitas quidem vlla mihi demonstrari potuit in vniuersa Germania, quam Iesuitæ armis Apostolicis vicerint, & in captiuitatem redegerint in obsequium Christi. Loquor autem de illo Armorum genere, quod S. Paulus commemorat, & 2. Corint. 10. sic describit: *In carne ambulantes, non secundum carnem militamus, nam arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum &c* 2. Corint. 6. *Nemini demus vllam offensionem, vt non vituperetur ministerium nostrum, sed exhibeamus nos in omnibus sicut Dei ministros in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in laboribus, in vigiliis, in ieiuniis, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma iustitiæ à dextris & à sinistris.* 2. Corint. 11. *Minister Christi sum ego in labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & siti, in ieiuniis multis, in frigore & nuditate.* 1. Cor. 4. *Vsq; in hanc horam nos Apostoli & esurimus & sitimus, & nudi sumus, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris, tamquam purgamenta huius mundi facti sumus.* Hoc armorum genere Iesuitas prorsus non vsos comperio ad Hæreticos in captiuitatem Christi redigendos, sed quocumque locorum deuenio, video eos omnibus dare offensiones, & ministerium eorum passim vituperari: nullam in illis apparere patientiam, nullas tribulationes, necessitates nullas, immo non modo maximas commoditates, sed etiam splendorem & magnificentiam in habitationibus: nullas angustias, nullos labores, nullas vigilias, ieiunia nulla, nisi quæ omnibus Christianis sunt communia, nullum verbum veritatis, sed perpetua mendacia, noua ementita (quæ prouerbialiter *Noua Iesuitica* dici solent) simulationes & dissimulationes, nullam famem, nullam sitim, nullam nuditatem, frigus nullum. Et non modo non sunt facti purgamentum huius mundi, sed etiam passim in summo sunt honore, & in Aulis dominantur, atque ab ipsis proceribus coluntur & tantum non adorantur. Ac ne cui relinquatur dubium, cuius generis Armatura illi ad debellandos Ecclesiæ hostes vsi fuerint, palam ac sine circuitione confitentes habemus, eiusmodi Armorum Apostolicorum nullum aduersus Hæreticos vsum esse, sed tantum aduersus Ethnicos, nec Christi Baptismo tinctos. De Hæreticis valere illud, *Compelle intrare, & Væ victis!* In libro enim, quem Dillingenses Iesuitæ *Iusta Defensionis* indice seu titulo anno superiore emiserunt, pag. 127. & 129. Monachorum irrident stoliditatem, qui putent se Apostolico modo Germaniæ Hæreticos ad Ecclesiam posse reducere, maiorum suorum exemplo, qui in Hispania Gothorum & Sueuorum nationes ante hos mille annos ab Hæresi Ariana, & totum septemtrionem ab Infidelitate & paganismo ad fidem Catholicam conuerterunt. *Quod de Apostolis* (inquiunt) *eorumque successoribus Monachis refert, ipsos solo verbo & prædicatione Euangelij nulla vi adhibita multitudinem populorum Christo adduxisse, id fatentur & sequuntur*

*quuntur Doctores Catholici*(Iesuitæ)*quod attinet ad infidelium, seu qui baptizati non sunt, conuersionem. Sed alia ratio est de Hæreticis. Hi mandatis ac minis, etiam pœnis reduci debent. Hic est optimus Hæreticos ad fidem Catholicam convertendi modus.* Hæc illi: ex quibus discimus corrigendam esse Pauli doctrinam.. Ille enim docet, *Arma Apostolica esse potentia Deo ad destruendas munitiones & omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, & ad redigendum in captiuitatem* OMNEM *intellectum in obsequium Christi*, 2. Corint 10. Iesuitæ autem contendunt Arma ista non esse potentia ad capiendum OMNEM intellectum, sed tantum infidelium, nam intellectum eorum, qui baptizati sunt, non posse vinci armis Apostolicis, sed tantum armis carnalibus Principum, quæ vocantur *Brachium carneum*, 2. Paral. 32. in quo confidentes à Deo maledicti sunt, nec spem habent se visuros bonum, siue optatos successus Ierem. 17. *Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor eius*(qui missa facit Arma potentia Deo, & sperat se carnalibus Principum armis munitiones & altitudines destructurum) *& erit quasi myrica in deserto, & non videbit cum venerit bonum, sed habitabit in siccitate in deserto in terra salsuginis & inhabitabili.* Hoc loco non est consilium multis disputare, recte ne Principes Arma sua aduersus Acatholicos expediant, cum perspicue satis Apostolus doceat, ei timendum esse qui malum facit, id est, qui adversus vtramuis Mosaicæ legis tabulam delinquit. *Si malum feceris, time potestatem. Non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit.* Veruntamen non minus verum est, Principis siue potestatis officium postulare, vt populos in religione errantes non tantum suis, sed etiam Apostolorum armis reducat. Sic enim monet S. Augustinus: *Si terrerentur tantum, & non etiam docerentur, improba dominatio* siue Tyrannicum imperium *videretur.* Sunt ergo etiam docendi, & eo quidem modo, quo Christus iussit, quoque Apostoli sunt vsi, & successores suos vti iusserunt. De Christo scriptum habemus Act. 1. *Cœpit Iesus facere & docere.* Matth. 7. *Admirabantur turba super doctrina eius. Erat enim docens sicut potestatem habens* (faciendi nimirum opera illa, quæ alios facere hortabatur, puta relinquere omnia propter Deum, in nuditate & paupertate viuere, nec habere vbi caput suum reclinet) *& non sicut Scribæ & Pharisæi*, qui non ostendebant factis, se habere potestatem faciendi opera, quæ alios facere iubebant. *Dicebant enim & non faciebant. Alligabant onera grauia & importabilia; & imponebant in humeros hominum; digito autem suo nolebant ea mouere*, Matth. 23. Tales doctores docent tamquam potestatem non habentes, & neque ad Gentiles neque ad Hæreticos conuertendos apti sunt. Itaque Princeps, qui tales doctores mittit ad conuersionem Hæreticorum, suo officio nequaquam satisfacit, nec sine peccato Hæreticos, talibus doctoribus non credentes, punire potest. Qualis autem Doctor in regno cœlorum requiratur, Christus docet Matth 5. *Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.* Tales erant Apostoli: de quibus scriptum est Acto. 5. *Virtute magna Apostoli testimonium reddebant resurrectionis Christi, & Gratia magna erat in omnibus illis.*

Hinc discimus, doctrinam Apostolorum factam fuisse credibilem per eorum paupertatem & vitæ duritiem, & caritatem eorum erga pauperes conciliasse illis populi beneuolentiam & gratiam. Quod si oculis hominum non exhibuissent talia opera, frustra auribus verbum instillassent. Sermo enim sine ostensione operum summæ caritatis & patientiæ, est inanis & infructuosus, sicut Paulus docet 1. Corint. 2. *Non veni ad vos in sublimitate sermonis aut sapientia annuncians vobis testimonium Christi Sermo meus & prædicatio non fuit in persuasibilibus & doctis humanæ Sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis.* 2. Corint. 11. & 12. *Signa Apostolatus mei facta sunt supra vos in omni patientia & ego non grauaui vos, nec ero grauis vobis, non enim quæro quæ vestra sunt, sed vos. Cum essem apud vos & egerem* (id est, non haberem necessaria ad cibum, potum & vestitum) *nulli onerosus fui* (nec eleemosynam à vobis petij) *sed sine onere me vobis seruaui & seruabo.* 1. Cor. 9. *Potestatem quidem habeo de Evangelio viuendi, manducandi & bibendi, & mulierē sororem,* quæ mihi ministret, *circumducendi Sed non vsi sumus hac potestate, ne quod offendiculum demus Evangelio.* 1. Thes. 1. *Evangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantum, sed in virtute, & in Spiritu Sancto, & in plenitudine multa sicut scitis quales fuerimus in vobis propter vos. Et vos imitatores nostri facti estis & domini.* 1. Thes. 2. *Ipsi scitis introitum nostrum ad vos, quia non inanis fuit, sed ante passi & contumeliis affecti fiduciam habuimus in Deo loqui ad vos Evangelium, non quasi hominibus placentes, sed Deo qui probat corda nostra. Neq; enim fuimus aliquando in sermone adulationis sicut scitis: neque in occasione auaritiæ, Deus testis est: nec quærentes ab hominibus gloriam, neq; à vobis neq; ab aliis.* 2. Thes. 3. *Ipsi scitis quemadmodum oporteat imitari nos, quoniam non manducauimus panem ab aliquo gratis, sed in labore & in fatigatione nocte & die operantes, ne quem vestrum grauaremus, prædicauimus in vobis Evangelium Dei. Non quasi non habuerimus potestatem* (grauandi vos & manducandi panem à vobis) *sed vt nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos.* Tales ergo sunt Boni operarii in Dei messem mittendi, qui docent tamquam potestatem habentes. Hi sunt qui prudentia Spiritus vtuntur & caritate, *quæ non quærit quæ sua sunt* 1. Cor. 13. *nec quod sibi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant,* 1. Cor. 10. Qui aliter docent, & bene quidem prædicant, sed quæ sua sunt quærunt, & vel gloriam, vel vtilitatem suā spectant, isti sunt Mali operarii, in astutia & carnali sapientia ambulant & terrena sapiunt, & alios quidem docēt, sed sibi ipsis nihil prosunt, etiam si propter prædicationem vita priuentur, cum caritate careant 2. Cor. 1. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate, & sinceritate Dei, & non in sapientia carnali, sed in gratia Dei* (hoc est in fiducia auxilii diuini) *conuersati sumus in mundo* 2. Cor. 2. *Christi bonus odor sumus, iis qui salui fiunt, odor vitæ in vitam* (vt nostrum bonum nomen alios ædificet) *& adhæc quis tam idoneus? Non enim sumus sicut plurimi, dolose tractantes verbum Dei* (id est, recte quidem docentes, sed alium Finem in animo habentes quam illum quem verbis iactant) *sed sicut ex sinceritate, sed sicut ex Deo coram Deo in Christo loquimur* 2. Cor. 4. *Abdicamus occulta dedecoris* (cauemus clam ea cupere & facere, quæ Dei ministro turpia sunt) *nō ambulantes in astutia*

*in astutia, neq; adulterantes verbum Dei, sed in manifestatione veritatis commendantes nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo*, 1 Corint. 13. *Si linguis hominum loquar & Angelorum* (si Angeli munere fungar, & verbum Dei prædicem) *caritatem autem non habuero factus sum æs tonans, aut cymbalum tinniens. Etsi tradidero corpus meum vt ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Eccle. 37. *Est vir peritus multorum eruditor, & animæ suæ inutilis est. Qui a Sophistice loquitur, odibilis est: omni re defraudabitur* ( sophistica sua prædicatione fructum non faciet). *Non est enim illi data à Domino gratia* 1. Corint. 9. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo* (seu contumacis serui more aspere tracto) *ne forte cum aliis prædicavero ipse reprobus efficiar* Philip. 3. *Videte canes, videte malos operarios, inimicos crucis Christi qui terrena sapiunt, quorum Deus venter est*, id est, qui Crucem & duram rigidamque vitam Christi & Apostolorum nolunt imitari, sed ventri suo & victu & amictu benigne faciunt: & Canum exemplo domum quidem custodiunt, & extraneos allatrant, sed domesticis , à quibus cibum exspectant, adulantur, erga alios vero canes ęque vtiles inuidi sunt & mordaces, quorum ingenium Phil. 1. sic Apostolus describit. *Quidam non sincere, nec propter bonam voluntatem aut ex caritate Christum prædicant, sed ex contentione & propter inuidiam & per occasionem* (id est, lucri aut gloriæ causa) *existimantes pressuram se suscitare vinculis meis*, id est, sperantes se effecturos, vt nemo audiendi Evangelii causa ad me in carcerem veniat, & *tribulationi meæ communicet* ( Philip. 4.) siue eleemosynam mihi in necessitate mea tribuat. Tales ergo Doctores gloriam suam aut lucrum ex ministerio Ecclesiæ captantes, & aliis inuidentes atq; impedimentum afferre conantes, sunt *canes & mali operarii* (id est, bonæ quamuis doctrinę, malorum tamen operum per exempla sua magistri) *& terrena sapiunt*: ad quos Iacobi Apostoli verba sunt cap. 3. *Si Zelum amarum habetis & contentiones in cordibus vestris: nolite gloriari & mendaces esse aduersus veritatem; non est enim ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, Diabolica. Vbi enim Zelus & contentio, ibi inconstantia & omne opus prauum.* Ex hic omnibus Principes intelligere possunt, se nondum impleuisse suum officium erga populos in Religionis negotio errantes , si eos curent docendos per malos operarios, terrena , animali, Diabolica sapientia præditos. Sicut enim boni operarii & Spiritus prudentia instructi. *Faciunt & Docent*, & ipso facto credibile reddunt suum testimonium: ita ex diuerso Mali isti operarii, qui dicunt & non faciũt, eo ipso incredibile reddunt id , quod verbis sectātur. Est autem manifeste improba dominatio, si Princeps cogat populos, vt credant illud esse verum, quod illi ipsi , qui verbis id verum esse dicunt, factis verũ esse negant, & sic testimonium suũ incredibile faciunt. Ita planũ fit ad Christiani Principis officium pertinere, vt ad reducẽdos eos, qui in Religionis errore versantur, in eo præsertim nati, alti & educati, talium Doctorũ opera vtatur, qui Apostolico more doceant, nec inania verba afferāt, interea offendiculũ hominibus dātes, & occasionẽ obtrectandi præbentes. Minime enim satis est, quamuis necessariũ, Doctorẽ, qui errātes in viam reducendos suscipiat, esse sine crimine, nec Auaritia, ambitione, aut luxuria teneri: sed præterea duo etiā

in eo requiruntur. Vnum, vt careat criminis suspicione, nec suę vtilitati aut gloriæ studere, aut voluptatibus indulgere existimetur, sed bene ab omnibus audiat. Ministri enim verbi diuini sunt vasa, siue patinæ, in quibus thesaurus epularum cœlestium conuiuis, id est, Auditoribus anteponitur. Qui sine eloquentia & magna eruditione verbum prædicant, sed cum vitæ Apostolicæ imitatione, ij sunt vasa fictilia, sed munda, quomodo docet Paulus 2. Corint. 4. *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus*. Sed qui prædicant doctis & persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis per occasionem lucri aut gloriæ, aut propter Zelum, contentionem & inuidiam, ij sunt *vasa pretiosa* (Ierem. 25.) sed immunda & sordida, *vasa absq; omni voluptate* (Ierem. 22. quæ convivis nauseam & stomachum mouent, vt etiam exquisitissimas dapes, siue optimam & verissimam de Christo doctrinam aspernentur ac fastidiant, siue ministerium eorum vituperent. Itaque sicut Prædicatori ad suam propriam salutem necessaria est Bona vita, quæ caret peccatis: ita ad salutem aliorum necessaria ei est Bona fama, quæ careat peccatorum suspicione. Ac propterea Apostolus suspicionis occasiones sic fugiendas monet Rom. 12. *Prouidite bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus*. 1. Thess. 5. *Ab omni mala specie vos abstinete*. Atque hoc est, quod de S Ignatio Societatis Iesu fundatore scribit Maffeius in vita eius lib. 2. cap 8. *Omnium qui ad rempub. accedunt rationes non veritate solum, sed etiam Fama niti censebat*. Deinde etiam si talis doctor & veritate & fama sit innocens, nec solum peccatis, sed etiam eorum suspicione & infamia careat, prærerea tamen adhuc desideratur virtutis perfectio, & Christi atque Apostolorum imitatio, est enim officii eius priusquam prædicet, ipsa vita sua prædicationem reddere credibilem, & Auditores in se intuentes ad credendum & assentiendum paratos reddere, tamquam oculis eorum exhibeat signum Apostolatus, quæ est omnis patientia, & victus ac vestitus asperitas ac duritia, quæ se prius prædicasse, antequam verbum loqueretur, ita scribit Paulus Galat. 4. *Scitis quia per infirmitatem carnis* (id est, per patientiam in carne mea, omnium rerum perpessu difficilium) *Euangelizaui vobis prius*: *& experimentum meum in carne mea non spreuistis neq; respuistis, sed sicut Angelum Dei excepistis me, sicut Christum Iesum*; id est, cum vidistis meam summam paupertatem & famis, sitis, frigoris, contumeliarum, omniumq; carni molestorum patientiam, statim tamquam conspecto Dei signo iudicatis, me à Deo missum esse, & veritatem docere, ac propterea parati fuistis mihi credere quicquid vobis Dei nomine annunciassem Tales Doctores possunt cum eodem Paulo auditoribus dicere: *Quæ audistis & vidistis in me, hæc agite, & Deus pacis erit vobiscum*, Philip. 4. Talia ergo sunt Arma iustitiæ, quibus armati OMNEM intellectum, non modo Gentilium, sed etiam Hæreticorum, in captiuitatem possunt redigere. Quod si Principes huiusmodi Armatos prius ad debellandos Hæreticos miserint, seq; nihil profecisse videant, tum certi sunt Hæreticos *esse in obligatione iniquitatis* (Act. 8.) *& funibus peccatorum suorum constringi*, Proverb. 5. *& Diaboli laqueis captiuos teneri ad ipsius voluntatem*,

*luntatem* , 2. Timot. 2. Itaque tempus habent Gladio ad vindictam malorum daro vincula & funes carnis ac diaboli præcidere, id est, liberare eos spe, metu, voluptate, aut aliis affectibus, quibus impediuntur, ne veritatem amplectantur errorem que missum faciant. In his enim locus est verbi illi Isai. 28. *Tantummodo sola vexatio intellectum dabit auditui vestro.* Psal. 82. *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine.* Proverb. 29. *Virga & correptio tribuunt sapientiam.* Prou. 22. *Stultitia colligata est in corde pueri , & virga disciplinæ fugabit eam.* Prov. 15. *Per timorem declinat omnis à malo.* Sed velut prædixi, tot provinciæ in Germania proximis annis superioribus non per Christi, sed per Ducis Fridlandiæ & Comitis Tilly Apostolos, nec tam *Apostolicè* , quam *P. stolicè* debellatæ fuerunt: ac propterea nihil nouum aut mirum videtur, nunc nuper necessitatem incidisse belli novi pro earum recuperatione suscipiendi. Pro cuius prospero ac felici exitu mea ego vota cum Iesuitis coniungam, quorum circiter septingentos ex varijs collegiis Lutheranorum metu profugisse accepi, qui si minus ex sententia bellum à Catholicis geratur, mecum fortassis in Japoniam nauigandi consilium capient, cum præsertim minime eos fugiat, quod etiam ipse passim non minus ex Catholicorum cuiusuis Ordinis, quam ex Acatholicorum sermone comperi, vno omnes ore tantarum in Germania calamitatum causam Iesuitis assignare, eosque omni Germania Edicto pellendos censere. Alij enim maximam in eos hinc quærunt inuidiam, quod Dilligensi volumine suo, quod *Compositio Pacis* inscribitur, *defecerint scrutantes scrutinio*, nimisque curiose verba legis de Religionis pacificatione rimantes, vel potius calumniantes, eo rem redegerint, vt nulla prorsus Protestantibus spes relinqueretur, Pacis illius beneficio in posterum vel minima ex parte perfruendi, sed necesse haberent in perperuo metu esse, ne secundum Cæsareum edictum, Iesuitarum assiduo odio & importunitate extortum, ipsi propediem provinciis suis & subiectis populis, bonis etiam & facultatibus, ad extremum ipsa etiam libertate & religione sua spoliarentur. Saxoniæ Electorem per neminem alium, nisi per Iesuitas, à sua erga Cæsarem fide tot documentis comprobata abductum, & ad armorum Societatem cum Sueciæ Rege coëundam impulsum fuisse, quoniam ex illo Iesuitarum libro, & ex Actionibus nonnullis ad libri illius præscriptum in Aula Cæsaria susceptis, certissimus fuerit factus, se minime euasurum, quin tres prouinciæ suæ Episcopatus vna cum aliis Ecclesiasticis bonis restituere Catholicis, cum iisque de fructibus eorum, octoginta annorum spatiô perceptis, decidere ac transigere, hoc amplius autem tamquam Augustanæ Confessionis desertor, eoque ipso à Religionis pace exclusus & iuris veteris adversus Hæreticos sanctionibus subiectus, aut Religionem suam, aut dignitatem locumque Principis, ipsam denique patriam amittere cogatur. Ista quippe omnia fieri necesse est, si Cæsar & Catholici Principes Iesuitis, velut Conscientiarum suarum arbitris ac moderatoribus, fidem habeant, & pacem Religionis ex illorum sensu & interpretatione intelligere atque executioni mandare velint. Hæc res, vt

E promit-

promiſcue omnes Catholici & Acatholici queruntur, Saxonem aliosq; Proteſtantium Arma ſumere coëgit, cum præſertim ex rigida illa aduerſus ciues Auguſtanos, religionis eorum Socios, executione ſatis certum haberent, Dillingenſis illi libro omnem in Regia Cæſaris fidem haberi, & Religionis pacem prorſus ex illius præſcripto intelligi. Alioqui bonam ſpem Saxonem habuiſſe, ſecum aliquanto benignius actum iri, ac propterea nihil interceſſurum fuiſſe, quin Edicto Cæſario in aliis Imperii partibus exſecutio præſtaretur. Quod ergo aliter ceciderit, & Cæſar ac fœderati Catholici omnium illorum iacturam fecerint, quæ inter tot annos maxima pecuniarum & Chriſtiani ſanguinis impenſa lucrari fuerant, atque inſuper de ſuo haud parum deperdiderint, deque reſiduo ſimiliter amittendo non minimo ſint periculo, eam omnem Ieſuitarum culpam eſſe contendunt, qui libris, conſiliis, monitis & inſtigationibus ſuis totum Imperium vſque à fundamento commouerint. Alii eos accuſant, quod vbiuis locorum ſe ingerant, & Principibus ac Magnatibus à Confeſſionibus eſſe poſtulent, eoſque poſtea adulentur, & blanditiis ac poppyſmis demulceant, nec ob peccata eorum quantumuis atrocia caſtigent; ſed in eodem vſque luto hærentes, nec vmquam morum emendatione præteritorum dolorem teſtantes, peccatorum abſolutione impertiantur, & quomodo de Pſeudo prophetis Ezech 13. ſcriptum eſt. *Conſuunt puluillos ſub omni cubito manus & faciunt ceruicalia ſub capite vniuerſæ ætatis ad capiendas animas, & viuificant* (ſive abſoluunt) *animas, quæ non viuunt, mentientes populo credenti mendacio.* Hinc porro idem ipſum euenire conqueruntur omnes, quod Iſai. 43. ſe populo ſuo Deus teſtatur feciſſe: *Interpretes tui præuaricati ſunt in me, & contaminaui Principes Sanctos. & dedi ad internecionem Iacob, & Iſrael in blaſphemiam.* Dicunt enim, Ieſuitas legis diuinæ interpretes rationem inueniſſe, vt vnus homo ſex aut ſeptem Epiſcopatus bona conſcientia tenere, & de fructibus eorum regie ſplendideque viuere queat, qui tamen ſacerdotio non ſit initiatus, nec vmquam initiari cogitet. Et quamuis lex Dei dicat, *Epiſcopum oportet eſſe Doctorem*, ſiue Prædicatorem, tamen Ieſuitas ita legem illam interpretatos, vt quis poſſit bona conſcientia eſſe Epiſcopus, qui ne ſemel quidem in omni vita prædicauerit, nec prædicauerit, nec prædicare vel ſciat, vel velit. Ex hac proinde interpretum præuaricatione fieri, vt omnes Germaniæ Sancti Principes ſint contaminati, vtque Deus inde offenſus eam dederit ad internecionem & in blaſphemiam. Alij Sacrilegium & bonorum Deo ſacrorum inuaſionem eis impingunt, quod Monaſteria ex Proteſtantibus recuperata Sanctis in cœlo regnantibus, Benedicto, Bernardo, Auguſtino, Nortberto &c. quibus à fundatoribus conſecrata fuerãt, reſtitui nolint, ſed ea partim ipſi artibus ſuis inuadant, partim Principes Eccleſiaſticos & ſæculares in poteſtatem ſuam redigere doceant. In alio certe Dillingenſium Ieſuitarum libro, qui *Placida Diſceptatio* inſcribitur, magnopere contendunt, Papam & Imperatorem *in conſcientia teneri* (id eſt, mortale peccatum commiſſuros, niſi ſic faciant) vt Monaſteria illa dent partim Cardinalibus &

Epiſcopis

Episcopis *in Commendam*, Principibus secularibus in Compensationem sumtuum in bello factorum, Militibus in stipendium, & ipsis Iesuitis ad fundanda Collegia, Scholas & seminaria. Verba eius sunt pagina siue facie aut columna 6. *Imperator ratione iustitiæ obligatur ex Monasteriis recuperatis Ecclesiarum* siue Episcopatuum *debita dissoluere dare militibus, Rempub. opis egentem adiuuare.* & pag. 15. *Ex Monasteriis Episcopatibus succurritur. dantur Commendæ bene meritis & accipiuntur.* & pag. 16. *Potest ex Monasteriis Episcoporum necessitatibus donari, stipendiis militum assignari, vbi alia desunt.* & pag. 24. *Cur ægre ferrent Ordines Religiosi quædam Monasteria Cardinalibus, Archiepiscopis Episcopis cedere?* & pag. 34. *Episcopi grauia damna passi sunt, æs alienum contraxerunt, ipsi auxilio Monasteriorum vacantium egent petunt & accipiunt.* & in libri titulo siue frontispicio æquum esse significat, vt Monasteria *Principibus secularibus in sumtuum compensationem belliquе adiumenta ad tempus* donentur, & pag. 7. *Quod si in corporum & opum defensorem, bene censu Ecclesiasticus impenditur, quanto magis in Doctores, qui animas seruant*, id est, in Iesuitas? Eadem sententia probatur in supradicto *Iusta Defensionis* libro in procem. numero 28. 30. & 31 Ex istis clarissime constat, Iesuitas leges diuinas & humanas sic interpretari, quod non sit Sacrilegium, Monasteria aliaque bona Ecclesiastica contra pias fundatorum voluntates in alios vsus converti. At enim talem doctrinam esse sacrilegam & Sacrilegiorum magistram, Symmachus Papa & sexta Synodus hoc suo Decreto perspicuè docent: *Valdè iniquum & INGENS SACRILEGIVM est vt quæcunque vel pro remedio peccatorum; vel pro salute, vel requie animarum suarum, vnusquisque Ecclesiæ contulerit, aut certe reliquerit: ab his, quibus hæc maxime seruare conuenit Christianis & Deum timentibus hominibus, & super omnia à Principibus in aliud transferri vel conuersi permittatur.* Quod deinde suadent Monasteria Cardinalibus & Episcopis dari in Commendam, in eo aperte contradiunt Spiritui Sancto, qui per Concilia & summos Pontifices docuit, id nihil aliud esse, quam res Deo Sacras dare lupis in prædam, quemadmodum videre est in Concilij Lateranensis sub Leone X. celebrat. Sess. 9. cap. 3. & Concilij Trident. Sess. 25. cap. 2 . & ex Clementis V. Bulla Iuri Canonico inserta. Quod etiam propter vsum solum S. Emmerani Monasterium, Episcopo Ratisponensi commendatũ, Carolus Crassus Germaniæ, Galliæ, Italiæ & magnæ Hispaniarum partis Dominus, etsi alioqui castitate, pietate ac deuotione vel religiosissimis Monachis nihil cederet, à Deo tamen desertus & Imperio deiectus sese ad mendicitatem redactum viderit, Germania vero Danis irruentibus prædæ fuerit, nemini in Historiis versato est ignotum Helmoldi quidẽ verba sunt Histor. Slavor. li. 1. ca. 7. *Carolus Crassus captos Danorum Tyrannos nõ ea, qua decuit, seueritate hostes Dei vltus est. sed ad sui deiectionem & grauem Ecclesiæ ruinam parcens simul is amplissime donatos à se abire permisit. At illi Regis inertiam irridentes, vbi noxia libertate positi sunt, rursum in vnum conglobati tantas strages dederunt, vt crudelitas modum excesserit, quid multa? Vrbes cum ciuibus, Episcopos*

 *cum toto*

*cum toto grege simul obruti sunt, Ecclesia illustres cum fidelium caterua simul incensa sunt. Quamobrem Carolus accusatus in Curia* (in Comitiis) *& ob stultitiam regno depositus, Arnolfum germani sui filium accepit successorem.* Hic porrò Arnolfus in Diplomate suo, quod adhuc Ratisbonæ exstat, cur non modo Carolus in tantam calamitatem inciderit, sed etiã vt Episcopatus & ciuitates igne & ferro à Danis tam immaniter vastatæ ac desolatæ fuerint, veram causam hoc modo exponit: *Omniũ successorum nostrorum magnitudo cognoscat, postquam patruus meus Carolus Imperator pro petitione Episcopi Embriconis S. Emmerani Ecclesiam præstauit, NVMQVAM postea habuit victoriam, neq; corporis & animi sanitatem vsque ad finem vitæ suæ. Si quis ergo Imperator aut Rex eandem Ecclesiam alicui præstet, in maledictione S. Mariæ, Sanctique Petri successorumq; eius & omnium Sanctorum persistat.* Hinc omnes facile iudicare possunt, Iesuitas vt auiditatem suam explerent, & opulentis aliquot Monasteriis potirentur, Episcopos, Principes & Milites in sacrilegij Societatem & prædæ partem vocasse, idque eis suasisse, quod toti Germaniæ funestum & luctuosum futurum, non ex isto tantum Caroli Crassi exemplo prædici potuit, sed etiam ex multis aliis, quæ Baronius in Annalibus passim annotauit, quorum illustrissimum est Alexii Comneni Imp. anno 1081. Recitat similiter Baronius eodem Tomo XI. Petri Blesensis verba ex epistola eius 112. quorum nonnulla hic quoque legi digna sunt: *Si Rex Galliæ* (inquit) *iter pro subuentione terræ Sanctæ arripere proposuit, non de spoliis Ecclesiarum, non de sudoribus pauperum viaticum sibi & suis exhibeat sed de reditibus propriis, aut deprædâ hostili bella Christi conficiat Quæ ratio est, vt qui pro Ecclesia pugnant, Ecclesiam spolient, quam inimicorum spoliis & donis triumphalibus ampliare debuerant? Putant ne insipientes & miseri, quod Christus qui summa iustitia est, velit sibi de iniuriis & sacrilegio exhiberi Sacrificium, aut sustineat commissa ex his spolia prosperari? Si enim testimonio veritatis in ignem æternum immittitur, qui sua pauperibus non dedit: vbi quæso mittendus est, qui bona pauperum vel Ecclesiæ rapuit aut fraudauit? Pro his & consimilibus peccatis filii Ephraim, intendentes & mittentes arcum, conuersi sunt in die belli* (id est, milites Christiani alioquin bellatores fortissimi turpiter fugemus) *NVMQVAM pauperum, numquam Ecclesiæ spolia prosperum habuerunt euentus auspicium &c* His consentanea sunt Caroli Magni verba in libro septimo capitulorum: *Nouimus multa regna & reges eorum propterea cecidisse, quia Ecclesias spoliauerunt, resque earum alienauerunt, & militibus loco stipendij dederunt, quapropter nec fortes in bello, nec in fide stabiles fuerunt, nec victores exstiterunt, sed terga multi vulnerati & plures interfecti verterunt, regnaque & regiones, & quod peius est, regna cœlestia perdiderunt, atque propriis hæreditatibus caruerunt & hactenus carent. Qualiter Dominus talium criminum vltrices pœnas per Saracenos & alios populos venire permisit, cunctis earum gesta legentibus liquet, & nisi nos ab his caueamus, similia nobis superuenire non dubitamus.*

Ista igitur sunt, quorum nomine Iesuitas magna omnium non modo Protestantium, sed etiam Catholicorum, & quidem primariorum sacri ac sæcularis Ordinis hominum inuidia atque odio flagrare comperi: quæ quidem res cum.

res cum ipsorum propria, tum communi Ecclesiæ causa vehementer me animi angit & excruciat. Ipsorum quidem, quoniam quocumque huius Germanici belli euentu non videntur nullo fore periculo. Si enim vincant Hæretici (quod Deus omen obruat) tum Iesuitis alios sibi lares persequi, & vel extra portam ire trigemiam ad saccum licet. Sin Catholici, etiam illis conspectus eorum grauis erit. quippe quibus consiliis, librisq; suis tantos malorum montes & mærorum videantur excitasse, Monachis præsertim, (vt futurum verisimile est) minime cessantibus, sed pro fama & salute sua tot occultis artibus & famosorum libellorum editionibus oppugnatæ strenue propugnantibus. Si denique bellum conditionibus componatur, iam vbique Acatholicorum exaudiuntur voces, aliter pacem esse non posse, nisi communi omnium Imperii Principum Ordinumque decreto in æternum Iesuitæ exilium malasque in oras ire iubeantur: cui eorum postulationi tamquam minime iniquæ multi Catholicorum annuere se paratissimos ostendunt. Quo vero miseri terrarum se recipient, si Germania aliter, quam Iesuitas ex penitis faucibus excreando, & ab imo vsque stomacho funditus euomendo, se saluam esse non posse statuat? In Gallia & Italia iam plus fere est Iesuitarum, quam Muscarum cum caletur maxime, quod etiam si non esset, vix vllus ibi Germanorum Iesuitarum vsus foret, quippe cum quibus nullum possit esse populis illis sermonis commercium. Gallicum enim & Hetruscum sermonem non magis callent, quam Iaponicum: tum si quando cui contingit, vt improbissimo labore linguarum exoticarum intelligentiam sibi pareret, ab Italis & Gallis non magis loquendo, quam Harpocrati litando & obmutescendo intelligitur. Cuius rei iucundum specimen videre mihi contingit, cum Roma Venetias proficiscens prope Anconam in publico diuersorio *Ad Vlmum*, quod viæ Bononiam ducenti imminet, in duos Iesuitas Germanos Romam tendentes incidissem. Eorum alter, qui sibi in Italici idiomatis studio nequaquam operam lusisse videbatur, B. & P. subinde inter se commutabat, sæpe pro B. suum Germanicum W. efferebat, adeoque pro *Barca* dicebat *VVarca*, vbi. W. est illa ipsa litera, quam Itali, Galli Hispani in voce *Guarda* pronunciant, D. quoque & T. nullo habebat discrimine, quemadmodum & F. atque V. consonam. C. sequente I. aut E. nihil à Z. ci differebat. GL & GN. Italorum nullo prorsus modo proferre poterat. Cum G. pronunciaret, vix vmquam ab Italo intelligebatur, in efferenda H. litera non minus adspirabat aut anhelebat; quam qui vel caudicariam sortiti prouinciam ligna findūt, vel piperis grana pistillo in mortario conterunt. *Manghiar bane & Peser. fino*, dicebat pro Mangiare pane & Beuer Vino. *Toue è fost o figili folo*, pro Doue è vostro figlivolo. *Eghli è cosa maraticliosa* pro Marabigliosa. *Havrete fetuto il Bapa*, pro Hauete veduto il Papa. *Mi bar che egli li ha VVon ingheng no à fotar la potta*. pro Mi pare che egli ha buon ingegno à votar la botta. Ista Latine nobis interpretari necesse habuit, vt intelligeretur, etsi nec ea res minimæ difficultatis fuit. Suæ Societatis Pater Generalis ei erat *Armotum Referentus Bater Fitellesius*, & Pater *Bisciola* erat

ei Bisziola, ò correpta, nam quomodo Itali eum vocant, Germanico more scribitur *Bi, che, a*, ò producta. *Ciaccon:um* vocabat *Ziacconium*, nec vnquam probum in eo efferendo nomenclatorem se præbuisset, nisi Capuccinus quidam Germanus ei demonstrasset, *Ciaccon* Italis proferri vt Germanis *Tschaccon. Bestauogus* ab illo audiebat, qui esset Pædagogus. Festiuè etiam acroamatis loco nobis erat Psalmos Latinos legendo, *vt Foze mea ad Tominum clamasi. Teim meius*, pro Voce mea ad Dominum clamaui. Deus meus. In Hispania ab iisdem causis nullum sibi locum Germani Iesuitæ polliceri possunt. Etsi enim opibus ibi affluere videntur, & abundare, quippe qui ex Regis Catholicis vectigalibus, quæ ipsi priuatis hominibus oppignerata vel redemerunt, vel expalpabunt & eblanditi sunt plusquam quingenta aureorum millia quotannis capiant, idque in Solis Castellanis regnis, in quibus Lusitania, Valentia, Nauarra, Aragonia, & Catalonia non comprehenduntur: vt mittam ingentia patrimonia & hæreditates vnctissimas, quibus ex Magnatum aliorumque liberalitate positi sunt: quæ res facit, vt quoniam eorum Patriarcha vectigalia Societatis in quos libeat vsus conuertendi ius habet, per causam copiis eorum, quæ abundant, aliorum Collegiorum inopiam tolerandi, minime absurdum dicta videatur, haud minores Patris Generalis, quam summi Pontificis opes esse, quippe quæ non feruntur esse octingenties, siue bini scutatorum seu Philippeorum milliones. Etsi ergo vt dixi, tam opimæ Iesuitis in Hispania sint divitiæ, vnde senum videantur posse excoquere, rursum tamen ingens habent æs alienum, eorum, quos Pater Generalis Aquauiua Monarchiæ socios & administros optauerat, partim rei familiaris gerendæ imperitia, partim infidelitate partim gloria & vt dicam *sumtuositate*, partim aliis causis contractum, quas Pater Mariana in libro suo *de Morbu Societatis* (de quo mox) exsequitur, cuius cap. 8. verba sunt: *Debita nostra sunt ingentia, ita vt in hac sola Toletana prouincia plusquam 250. ducatorum millia debeamus. Cum reditus nostri adhuc essent perexigui, in nostro eramus ære, nec alienos nummos pascebamus: nunc autem postquam diuites facti sumus, debitis penitus obruimur*. Idem vero cap. 4. prius dixerat: *Ex iis, quæ hic dicuntur, quid alibi in Societate fiat, iudicium facere & ex vngue, quod aiunt, leonem cognoscere licebit*. Itaque si proportione Societas in cæteris prouinciis tantundum æris alieni habet, non minus octo millionibus philippeorum in vniuersum debebit. Quod si verum est, Iesuitis Germania tota pulsis nihil nempe aliud erit reliquum, nisi, vt euadat eis, quod Psalmus 58. ominatur: *Famem patientur vt Canes, & circuibunt Ciuitatem. Ipsi dispergentur ad manducandum: si vero non fuerint saturati, murmurabunt.* Atque hoc est, quod ipsorum causa solicitor. Ecclesiæ vero causa istud male me habet, quoniam eam opera illa defraudari intelligo, quam ei homines optimis plerumque ingeniis præditi (tales enim ferè sunt, quos illi in Societatem suam illiciunt) nauare possent, si in Germania manerent, nec tanta passim infamia laborarent.

borarent. Etsi enim non eam Prædicatio eorum ad impellendas hominum voluntates virtutem habet, quam qui Apostolicam vitam oculis audientium ingerunt, tamen mentem saltem & intelligentiam eorum informant, & secundum Regulam suam viuentes, nec ab ea desciscendo offensionem vllam dantes, non minimum adhuc aliis prosunt. Nam etsi ad eorum perfectionem, qui per contemplatiuam vitam summamque patientiam & paupertatem Deo coniunctiores sunt & acceptiores, neminem exemplo suo possunt adducere: tamen ad ea, quæ omnes Religiosi ex æquo profitentur, obedientiæ, castitatis & paupertatis vota, cum verbo, tum opere duces aliis esse possunt, ad maiorem vero perfectionem tendentibus intento digito Monachos demonstrare, quemadmodum necesse habent, si S. Thomæ doctrinæ, quod de se profitentur, fideliter adhærescant. Nam quod quidam eorum adhuc persuadere hominibus conati sunt, Societatis suæ institutum esse multo perfectissimum, & Episcoporum Statui proximum: id Apostolicæ sedis auctoritate nuper fuit explosum, & iudicio eiusdem pro temerario, impio, Hæretico & Antichristiano condemnatum in *Apologia Nicolai à Iesu Maria* Teresiani Carmelitæ, quam Romæ anno 1626 editam ac biennio post recusam, Duacenses *Incensum altaris* inscriptam ediderunt, quæ & proxima æstate frustra obluctantibus & extrema omnia facientibus Iesuitarum amicis Rauenspurgi typis descripta exiit, quia lecta habebunt eorum plus æquo studiosi, cur eos censeant debere forte sua, id est, infimo Religiosæ perfectionis gradu contentos viuere, nec merito suo altiora animis affectare. Ita non Carnis aut sæculi, sed Spiritus Societas videbitur, de qua Paulus Philip. 2. *Si qua Societas spiritus, implete gaudium meum, vt idem sapiatis, eandem caritatem habentes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes: non quæ sua sunt, singuli considerantes sed quæ aliorum.*

Verum enim vero cum Caritatis sit, propter communia & propria proximorum mala non tantum concruciari, animoque affici, sed opem quoque quam possit promte ferre, velut 1. Iohan. 3. docemur: *Non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate. Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo?* Propterea faciendum mihi visum est, vt viscera caritatis aperiam, & cum Ecclesiæ vtilitati seruiam, tum Societati Iesu subueniam, quæ matris meæ familiæ S. Francisci minuscula soror est, & in gravi magnique discriminis morbo cubat. Exaudire enim mihi videor verba illa Ierem. 51. *Vlulate super eam: tollite resinam ad dolorem eius. si forte sanetur* Nam adhuc quidem multos super Societatem vlulasse, deq. contritione ac plaga, siue multiplici eius morbo & corruptela, conquestos esse, sed neminem salutari medicina ei succurrisse video, vt propemodum audire mereamur illud propheticum: *Insanabilis fractura sua, pessima plaga tua. Non est, qui*

*indicet*

*inducet iudicium tuum ad alligandum. Curationum vtilitas non est tibi. Omnes amatores tui obliti sunt tui seque non quarunt*, Ierem. 30. Nec tamen non intelligo, magnam partem ipsius culpa fieri, vt *plaga eius fere fit desperabilis, & renuat curari*, Ierem. 15. quoniam ipsa optime se valere si minus sibi, saltem aliis persuadet. Nam ecce tibi Dillingenses Iesuitæ *Placida Disceptationis* pag. 11. & 41. gloriantur. *Societatem hodie vigere & florere, inque prima Regula fundatoris sui stare, nihil de pristino rigore leniuisse, nihil nouæ laxitatis admisisse: Paupertatem quoque redditam esse adstrictiorem.* & P. Vitellescus *in Iusta defensionis* pag. 133. literis ad omnes Iesuitas datis scribit: *Ex singulari præpotentis Dei benignitate consistere etiamnum in ipso Religionis suæ corpore spiritum illum, quo primum animata coaluit eumque non modo non emortuum, sed etiam valentem ac vegetum.* Ita quidem de se Domina Societas prædicat, de maioribus vero sororibus suis, id est, antiquis Religiosorum familiis eiusdem *Placida Discept.* pag. 7. *De vitiis earum plena sunt archiuia, pleni Visitationum commentarij: multitudo ibi est malorum, raritas bonorum: domum orationis verterunt in speluncam latronum*, & pag. 11. *Ibi vetus Regula laudatur, nouis moribus viuitur, prona in casum anima pendent. Sunt ibi vlcera, vulnera, putredines*, & pag. 14. *Disciplinam laxerunt, nec in illis primus Spiritus, & integra Regula obseruantia viget.* Quis non exaudire & videre hic sibi videatur Pharisæos illos Luc. 18. *qui in se confidebant tamquam iusti, & aspernabantur cæteros*, quorum hæc erat oratio gloriarum & fastidij plena: *Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic publicanus?* Ita autem dubium cuiquam esse potest, quin merito huic hominum generi impingatur quod Christus ait: Matth. 7. *Quid vides Festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides? Hypocrita, eijce primum Trabem de oculo tuo, & tunc videbis eijcere festucam de oculo fratris tui.* Quis enim Trabem esse neget tale vitium, quod hominem Religiosum reddat sæcularem, hypocritam & sua quærentem, quodque ordini suo minetur interitum? Tale vero vitium esse *Aulicismum & Sæcularitatem*, eoque morbo superiores Societatis vt plurimum supramodum ægrotare, confitentem habemus ipsum Claudium Aquauiuam Societatis Patriarcham, in cuius libro qui inscribitur *Industriæ de curandis Societatis morbis*, & huius ipsius Vitelleſci auctoritate ad mendacium eius manifeste iugulandum Romæ fuit editus anno 1616. cap. 15. pag. 97. ista exstant: *Sæcularitas & Aulicismus, insinuans in familiaritates & gratiam externorum, Morbus est in Societate & intra & extra periculosus* (id est, qui multum non modo Iesuitis, sed etiam externis illis Principibus & Magnatibus nocere potest) *& istu, qui eum patiuntur, & Nobis Superioribus) ferè nescientibus paulatim subintrat. Specie quidem lucrifaciendi Principes Prælatos, Magnates, conciliandi ad diuinum obsequium huiusmodi homines Societati iuuandi proximos &c.* (prætextus iste noster, dolo plenus est, quod ista fiant ad maiorem Dei gloriam, & ad proximorum salutem) *sed reuera quærimus interdum Nosipsos, & paulatim ad sæcularia deflectimus*, id est mundum & ea quæ in mundo sunt diligimus, opesque & honores captamus, Deo simul & Mammonæ servire, postulantes, quod tamen est impossi-

impossibile. Eiusdem Aquauiuæ confessio est in alio libro, quem inscribit *Instructionem pro superioribus ad augendum in Societate Spiritum* cap. 1. pag. 11. *Est & alia malorum radix longe periculosissima, eoq, periculosior, quo minus vulgo noxia censeri solet, rerum scilicet externarum occupatio* (seu sæcularitas & Aulicismus) *in quam superiores* VT PLVRIMVM *ac variis nominibus* SVPRA MODVM *effundi solent. Per speciem proximos lucrifaciendi multis sese Visitationibus implicant, iisque non modo non necessariis, sed parum etiam vtilibus, atq, ita in his versantur, vt à sæcularium moribus parum abscedant.* Hæc ingenue Aquauiua de Trabibus in Iesuitarum oculis confitetur, vt Vitellescus, cui sic frons omnis & pudor periit, recte facturus videatur, si pudoris aliquid alicunde sumat mutuum, nunc enim audire meruit illud Ierem. 3. *Frons mulieris meretricis facta est tibi: noluisti erubescere.* Veruntamen longe maiores adhuc Trabes Societatis suæ describit *Iohannes Mariana* in libello suo Latine, Gallice, & Italice edito *de Morbis Societatis, eorumq, causis & remediis*, quem omnes Principes & Societatem saluam cupientes diligentissime legere deberent. Nam Mariana vnus fuit ex antiquissimis Societatis Patribus, & ante octo circiter annos nonagenario maior pie obiit, cuius Cardinalis Baronius ita meminit Tomo 8. Anno 688. *Veritatis amator & pietatis optimus cultor, qui erudito stylo postremam manum apposuit rerum Hispanicarum historia, Hispanus ipse, sed affectu priuato carens, Iohannes Mariana, dignus professor Societatis Iesu.* & Tomo 9. anno 775. *Mariana, vir doctus & pius, nobilis rerum Hispanicarum Historicus.* Hic anno 1609. Coloniæ librum edidit, in quo de monetæ in Hispaniis mutatione disputans Ministrorum Hispanorum fraudes perstringit, easque imperio Hispanico exitiabiles ac funestas fore vaticinatur, sicut hodie euentu comprobatum videmus. Dux Lermæ se libro illo sugillari intelligens hominem in vincula poposcit, in iisque annum vertentem continuit. Franciscus Sosa, qui mei Ordinis Generalis Minister fuit, eiusque visitandi causa in Germaniam quoque venit, factus postea Auximensis Episcopus & Status Consiliarius, iussus fuit Marianæ scrinia excutere, vt si quid aliud inuentum foret, quo vel Regis oscitatio, vel Lermæi artes sugillarentur, id abolendum curaret. Sic inuenit ille librum illum ipsius Marianæ manuscriptum, eo tamen consilio, non vt in vulgus ederetur, sed vt aliquando in Societatis Synodo seu Congregatione ad corrigenda, quæ in Societatem irrepsissent, vitia vsui esse posset. Cum Sosa cum multis amicis, & nominatim cum Illustrissimo D. Conrio Thuamensi in Hibernia Archiepiscopo, acutissimo Ordinis mei Theologo, & plusquam quisquam alius in S. Augustini operibus versato, & cum Reuerendissimo P. Nicolao Riccardio, Sacri Apostolici Palatii Magistro, vt ex ipso accepi, cõmunicauit. Nec est quisquam, qui Marianæ Scripta legerit, quin Stylum eius, acrimoniam & iunctam libertate prudentiam in illo eius libello statim agnoscat. Illud quidem omnes fateri coguntur, omnia Societatis arcana, maxime Collegiorum Hispaniæ, eius libri auctori fuisse cognitissima, eumque summa erga Societatem caritate affectum esse, qui remedia omnibus eius morbis tanta

F cum soli-

eum solicitudine præparauerit. Dillingenses Iesuitæ eum librum à Mariana scriptum negant, quoniam fortassis eum numquam manibus aut oculis vsurparunt, cum Vitellescus magnopere Monarchiæ suæ metuens, si imperii sui arcana sociis omnibus notescerent, eius lectionem Anathematis pœna sanciuerit. Res tamen tota multo est clarior, quam vt negari possit, nec vt ea se habeat, ipse Pontifex ignorat. Nam & Confessarius eius P. Florauantius, prisci moris ac veteriotis notæ Iesuita, librum legerat, & nimis vera eum cantare cum gemitu fassus fuerat, sicut etiam Pontificem magnopere obtestatus est, vt ad Societatem instaurandam seu reformandam animum appelleret, nec enim verbis se posse exprimere, quam ea à pristina virtute sua degenerauerit, quamque omnis Religiosa disciplina in ea collapsa fuerit, & in secularitatem meram euaserit, velut mihi primarius quidam Pontificis familiaris ex ipsius ore acceptum retulit. In eo porro Marianæ libro multæ ingentes Societatis Trabes graphicè describuntur, quarum paucas hoc loco exponere minime ab re futurum videtur, vt Principes, qui Societatem tam amant, eiusque saluti & incolumitati consultum cupiunt, tanto melius ad rem necessaria comparare possint. Sic ergo Mariana loquitur.

Cap. 10. Peruentum nunc est ad fontem & originem nostrarum turbarum & molestiarum, quas in Societate experimur. Singularis ferus depastus est eam Monarchia ista meo iudicio humi nos affligit ac prosternit, non quia sit Monarchia, sed quia non sit bene temperata. Hæc enim vero bellua est, quæ quicquid attigit, populatur ac vastat: quam nisi vinculis compescamus, non est, quod vllam nobis quietem polliceamur, &c. Etsi Leges habemus easq; numero plures, quam necesse sit, Generalis tamen Societatis Præpositus nihil in Regimine suo leges curat, neque in dandis officiis, neq; in admittendo Socios ad professionem, neq; in constituendis Collegiis, neq; aliis in rebus innumerabilibus. Nam si leges exstent, ille in omnibus, aut quasi in omnibus, dispensandi ac legibus quem libeat soluendi auctoritate vtitur. Cumq; Monarcha, nisi Tyrannidem exercere velit, de rebus singularibus ac tẽporariis nihil nisi de Consilii sententia facere debeat, commiseratione dignum & deplorandum est, de quo passim querelæ audiuntur, quod res omnes in vnaquaq; prouincia ita administrarentur, sicut Prouincialis, ite .que alter ac tertius scribunt, quos sibi Generalis nouit fidos & obnoxios: reliquorum vero nulla habetur ratio, etsi omni ex parte multum illis præstent.

Cap. 11. Pluribus verbis sententias, quas subijciam, exsequitur: Omnes prouinciales & superiores Societatis violentum, minimeq; voluntarium in Socios exercent imperium. Facit enim quisq; eorum quod libet, & quamuis cæcus sit, cogit eos, qui vident, illàm inire viam, quæ ipsi probatur. In Societate de multis casibus non exstant leges, neq; pœna proposita est ei, qui aberrat in imperando: & si quæ sunt Leges, eas non obseruant illi, qui præsunt, aut pro libitu interpretantur. Superiores plerumq; minime digni sunt, qui officiis præsint, cum Pater Generalis metuat ac sublatos velit, quorum eminentes sunt virtu

tes Boni,quam mali,ei suspectiores sunt. Multa facta mala & turpia in Societate committuntur,quæ manent impunita,& involuuntur silentio. Pater Generalis eosdem homines in officiis subinde reficit,& imperium eorum perpetuat,quoniam ita putat expedire Monarchiæ suæ, cuius conseruationi vnice studet. Cæteros,quos non ita nouit,metuit. Multi Iesuitarum sunt *Delatores*, quamuis honestiori nomine appellentur, qui malefaciendo gratiam superiorum sibi conciliant. Inueniuntur etiam in Societate *Adulatores* non pauci, estq; valde frequens in Societate nostra Adulationis vitium.

Cap. 12. Nulla est Latronum Societas, quæ sine iustitia & æqualitate possit permanere stabilis. Talis tamen iustitia non inuenitur in Societate Iesu, cum in ea non obseruetur lex naturæ, quæ iubet præmia & honores distribui pro cuiusque merito. Nam pauci homines iuuenes,nulla nec eruditione,nec alia laudabili qualitate præditi,honoribus in ea afficiuntur, & in officiis per viginti aut triginta annos continuantur,quoniam sciunt adulari ac sese ingerere: longe autem plurimi prudentia, literis ac virtute præstantes in perpetuum ab officiis excluduntur.

Cap. 13. Certum habeo,si Romæ euoluantur scrinia Patris Generalis, ne vnum quidem bonum virum in Societate inuentum iri,qui scilicet à Delatoribus non fuerit infamatus,saltem eorum qui absunt longius, nec noti sunt Generali.

Cap 14. Nulla est Monachorum Religio,in quam plura excellentia ingrediantur ingenia,quam in Societatem,nec vlla, in qua sit tantum otij ad studendum: nihilominus valde pauci Iesuitæ euadunt literati : nulli sunt excellentes concionatores,nulli Ecclesiasticarum rerum,nulli humaniorum literarum periti,quoniam nulla proponuntur laborantibus præmia,immò verò humaniores literas docti contemnuntur. Certum est nullam in Societate valde grauibus delictis infligi solere pœnam,modò qui deliquit, iram atque animos à crimine sumat,seque audacem & defensioni paratum ostendat. Dissimulantur ergo scelera sub hoc prætextu,quod ea non satis probari possint, & quod non oporteat rumores suscitare,vt extraneis innotescat, quid in Societate gestum sit. Totum regimen Societatis videtur hunc habere scopum,vt male facta iniecta terra occultentur,& hominum notitiæ subtrahantur. Prouinciales & Rectores si vel grauissime peccent, violando Regulam ac statuta, ædificando & diruendo sine vlla necessitate,& nemine consulto, dilapidando facultates Societatis,aut largiendo consanguineis, non nisi post multos demum annos puniuntur,sed non alia pœna, quam vt eis abrogetur officium, quod gesserant, dato plerumque officio meliori. In Societate, quod miserrimum est, Boni aut sine vlla de causa, aut saltem leui de causa affliguntur, atque etiam MORTE AFFICIVNTVR, quoniam non videntur oblocuturi, nec restituri, cuius rei luctuosa afferri possent exempla. Improbi vicissim tolerantur,eo quod meriti sint, quod regiminis nostri formam

arguit esse vitiosam ac sine neruis. Atque in hoc vno puncto satis cautæ est, cur Deus Societatem penitus submergat. Mihi semper ob oculos versatur, nos à Deo plecti propter molestias, iniurias & vexationes, quæ seruis eius bono quamuis animo in Societate obuenerunt. Diuinę enim bonitati eius conuenit, vt suis opituletur, eosque vlciscatur, qui nulla cum ratione quocumque colore eos afflixerint.

Cap. 17. Regimen Societatis est contra naturam, cum boni, docti, senes & nobiles sint subditi: minus boni, idiotæ, iuuenes, ignobiles, nullisq; dotibus conspicui, sint præpositi, omniaque ex libidine sua moderentur.

Cap. 3. S. Ignatius & priores Societatis Præpositi Generales non eodem, quo Claudius Aquauiua Stylo vsi, nec eandem gubernandi rationem secuti sunt, vt mirum non sit, hodierno tractandi modo Sociorum animos offendi.

Cap. 4. In Societate ab aliquot annis multæ fuerunt rebelliones aut seditiones, ex quibus magni & diuturni rancores, siue animorum exacerbationes promanarunt.

Cap. 5. Nouitij Iesuitarum eo ipso tempore, quo pietas & deuotio eorum feruet cum maxime, exquisitis epulis ac fructibus pascuntur, variisque deliciis & commoditatibus adsuefiunt: ex quo fit, vt animi MAGNÆ partis Iesuitarum sint amantes deliciarum, laborum vero ac molestiarum intolerantes, adeoq; pedibus iter facere & frigus æstumque tolerare nolint.

Cap. 6. Iesuitæ sub prætexu iuuentutis bonis moribus imbuendæ humaniores literas docendi prouinciam ceperunt: sed plerumque biennium aut triennium illi profitentur literas, qui eas neque didicerunt vnquã, neq; discere volunt, adeoque discipulis imprimunt solœcismos ac barbarismos, quibus numquam postea liberari possunt. Cur in Hispania tanta regnet barbaries, eius rei principalis causa est Iesuitarum docendi ratio: ex qua si damnum quod nascitur, homines bene intelligerent, sine dubio per publicum decretum Scholis nos eijcerent, quod etiam certe nobis eueniet.

Cap. 19. Leges nostræ, maxime autem Regulæ, mutatæ sæpius fuerunt. Corpus Societatis ex toto contrarium est ei, quod Fundator noster Ignatius imaginatus sibi fuerat ac formauerat. Homines scandalizantur, murmurant, nosque insectantur non aliam ob causam (NB.) quam quod nos adeo singulares & INTERESSATOS, *seu propria vtilitati deditos* vident. Multi Ordines Religiosi post nostrum, aut paulo prius fundati fuerunt: nihilominus omnes simul non sustinent tantam persecutionem, quantam sola Societas sustinet. Domus professæ, quæ nullos reditus habere possunt, sunt nimis paucæ: idq; Societatis instituto manifeste aduersatur. *Societas nimirum est vna Religionum mendicantium, & quoniam à potiori fit denominatio, certe maiorem domiciliorum Societatis partem conueniebat paupertatem colere & mendicato victitare: At enim anno 1626. Societas habebat Collegia 444. domos vero professas tantum viginti sex. Sic nempe Paupertas ei cordi est.*

Cap.

Cap. 10. Iesuitæ sub pietatis specie multis implicantur negotiis valde alienis, magisque secularibus, quam spiritualibus. Conciliant matrimonia, condunt secularibus sua testamenta, patrocinantur litigantibus, aut gratiam aliquam apud magnates & iudices ambientibus suffragantur, prospiciunt eis delicias & domesticas necessitates, vt propediem videantur suscepturi etiam officium Maioris domus, vel Aulæ præfecti apud Principes, nisi tamen id iam susceperunt.

In Epilogo: Maior pars Iesuitarum, qui sunt quatuor votorum professi, non seruant votum paupertatis, cum viuant in Collegiis eorumq; reditus consumant. Multi multos annos manent proprietarij, multique sunt otiosi nullam ad rem vtiles. Nimios sumtus faciunt ac rem familiarem dilapidant, maleque perdunt. Faciunt itinera maiore pompa, quam Paupertatem professis conueniat. Omnes curru vehi volunt, nemo pedibus iter facere: Multa Romam ex Collegiis munera Patri Generali mittuntur ad conciliandam eius gratiam, ita vt periculum sit ne tandem officia Societatis pecunia emantur. NEMO quantumlibet cæcus sit negare potest, Societatem à recta ratione aberrare, ac propterea propediem funditus interituram, nisi Deus opem ferat, hoc est, mentem Iesuitis inspiret, vt rectè monentibus parere, ipsique se REFORMARE velint.

Istæ igitur sunt ex multis paucæ Societatis Trabes, de quibus tanti nominis ac meriti Iesuita, & ex parte ipse Claudius Aquauiua ingenue confitentur. Si ergo Episcopi & Principes opera Societatis vti volunt, vt ex aliorum oculis Festucæ eijciantur, necessarium est, vt prius de Trabibus ex oculis Iesuitarum eijciendis laborent, aliter Societatem nulli vsui futuram, Christo ipsi debent credere: sed etiam breui interituram, Ignatio aliisque Iesuitis, maturum ei interitum ex conuulsa disciplina viuendique Formula pro certo augurantibus, merito assentiuntur. S. Ignatii verba sunt teste Maffeio in Vita eius lib. 2. ca. 18. *Quibus artibus, quoue spiritu excitata & conflata est Societas, eodem profectò alenda & conseruanda est.* In libro autem Romæ edito, cuius inscriptio est, *Instructio ad Prouinciales & superiores Societatis,* Instructione XIV. pag. 86. ita legimus. *Cautela est adhibenda, ne Principum ac Magnatum Aulæ nostris obsint. Itaq, præcidantur familiaritates istæ cum Principibus, quæ Societati nostræ, nisi fortiter obsistamus, grauiter minitantur.* Dillingensium denique Iesuitarum, velut Caiphæ fata canentis, oraculum est *Placidæ disceptationis* facie 41. *Ordines, qui in quibusdam non paruì momenti rebus instituti sui rationem à Fundatoribus propositam & Ecclesia approbatam reliquerunt, non multo tempore à scandalis immunes fuerunt, & exiguo cum fructu in Ecclesia laborarunt. Quam diu Societas stabit in prima Regula Fundatoris Ignatij fructus optatos feret, Si inde dimoueri se patiatur, motu magno quatietur, nec Pontifex, nec Cæsar, nec amici, nec opus seruare eam poterunt, Deo non probante.*

Quæ cum ita sint, omnes Catholicos Principes per Dei gloriam, per Christi sanguinem, per tormilliones animarum, & salutem earum obsecratos

& obtestatos volo, vt rem hanc cordi habeant, & ad tanta molis Trabes ex Societatis oculis tollendos rebus relictis annitantur, qua in re non est, quod multum sibi laborem capiendum metuant, cum literis tantum nunciisq; Romam ad Pontificem & ad Congregationes Inquisitionis ac Fidei propaga dæ mittendis rem ex sententia conficere queant. Nam Pontifex, vt dixi iam satis de re tota est edoctus: & fratris eius filius Franciscus Barberinus Cardinalis librum illum Marianæ Patri Generali cuiusdam Religiosi Ordinis legendum dedit & accurate commendauit, cum diceret, inde eum haurire posse rationes prouidendi, ne in ordinem ipsius irrepant corruptelæ illæ, à quibus iam Societati Iesu præsentissimum labis atque exitii discrimen impendeat.

Verum quidem est, Iesuitas mirifice satagere, vt Societatem nullius Reformationis indigere Pontifici persuadeant: eamque ad rem qui eorum voluntati obsequuntur, talia fere adducunt argumenta. Primum ignominiosum hoc Societati futurum, si reformetur, multosque à nomine ei dando iri absterritum, ac propterea Societatem posthac non ita vtilem Ecclesiæ operam navaturam. Si ægro medicina propinetur, existimabitur ægrotare, cumque sanus fuerit factus non poterit posthac opus facere. S. Benedictus Ordinem condidit mille partibus præ Societate excellentiorem, quod nemo nisi insigniter impudens, aut omnis Ecclesiasticæ memoria pueriliter imperitus negare ausit. Et ille tamen omnibus fere sæculis à diuersis fuit instauratus atque ad primigeniam regulam reuocatus, non solum sine vlla sua ignominia, sed etiam cum maxima gloria, & publica Ecclesiæ vtilitate, ita vt Diuus ille à S. Iobo verba hæc mutari possit: *Gloria mea semper innouabitur, & arcus meus in manu mea instaurabitur.* Gloria enim iusti est resurgere, Iacere autem, nec erigi, est ignominia impij. Proverb. 24. *Septies cadet iustus & resurget: impij autem corruent in malum*, idque semel. Proverb. 28 *Qui peruersis graditur viis, concidet semel.* Psalm. 36. *Non veniat mihi pes superbiæ. Ibi* (nempe per pedem superbiæ) *ceciderunt, qui operantur iniquitatem: expulsi sunt, nec potuerunt resurgere.* Qui enim ibi cadit, is facit, quod Iob 24. scriptum est. *Dedit ei Deus locum pænitentiæ, & ille abutitur eo in superbiam.* Non sic S. Benedicti Ordo; non sic; sed gaudet subinde resurgere & *renouari spiritu mentis suæ*, Ephes. 4. In Ordinem vero Societatis Iesu rectissime quis contulerit illud Eccles. 7. *Deus fecit illum rectum, & ipse infinitis se miscuit quæstionibus*, siue *Computationibus*, vt est in Hebræo & Chaldæo, quia scilicet manus dedit mammonæ, & *Vtile solicitu computat articulis*, & (vt Baruch 3. dicitur, de *filiis Agar, qui exquirunt prudentiam, quæ de terra est*) *dereliquit fontem sapientiæ, nec intrat in Thesauros eius*, sed alterius generis Thesaurum cæpit quærere. *Argentum thesaurizat & aurum, in quo confidunt homines, & non est finis acquisitionis eius.* Hoc demum vere est, infinitis se miscere quæstionibus. Nam qui *habentes alimenta, & quibus teguntur, his contenti non sunt, sed quærunt diuites fieri, incidunt in tentationem & laqueos Diaboli, & desideria multa inutilia*

*inutilia & nociua*, ait Paulus 1. Timoth. 6. An quisquam ergo postulare audet, vt credatur magis in rem & gloriam Societatis futurum, si iaceat, quam si erigatur: Si laqueis Diaboli teneatur quam si incisis illis vel abruptis libertatem recuperet?

Deinde metum facere conantur, si Societatis instituatur Reformatio, maximas turbas commotum iri, multosque perpetuum Vale Societati dicturos, eamque rem finem Societati & interitum allaturam. Sed satis iam à Mariana demonstratum est, omnium in Societate turbarum ac motuum intestinorum fontem & originem esse Monarchiam siue Pambasilian; & absolutum, nullisque legum vinculis adstrictum, & sicut ipse Pontifex hodiernus dicere solet, *Despoticum*, siue Herile Patris Generalis imperium, cuius quoniam non nisi Prouinciales & Rectores fiunt participes, paucissimos in Societate inueniri consentaneum est (quod ipsum quoque Mariana fert apertissime) qui æquis sint animis, ac non potius gemant, & sortis suæ iniquitatem lamententur, quod animi tranquillitatem, quam sperauerant, in Societate non inueniant, multi etiam, qui patrimonia sua in Societatem intulerant, si iam spe sua frustrati inde exire velint, eorum iacturam sibi faciendam fore intelligant. Vident soles illos adspectari, clarosque incedere honore, omniaque ex libidine agitare, qui assentando, aut deferendis Sociorum nominibus in eorum qui præsunt, gratiam irrepunt: cæteros omnes iacere nulloque esse numero. *Filij Sion incliti & amicti auro primo quomodo reputati sunt in uasa testea, & opus manuum figuli?* Thren. 4. Cum autem Patris sui Ignatij Nomothesian & Societatis mores, qui ante Aquauiuæ dominatum ex eoque natam corruptelam vigebant, legendo cognoscunt, quomodo rerum in melius mutationem non suspirent, & cum propheta exclament? *Converte nos Domine ad te, & conuertemur: innoua dies nostros sicut à principio*, Thren. 5.

Tandem periculosæ plenum opus aleæ videri volunt, si Societatem Pontifex reformare conetur, cum metus sit, ne se Principes à Iesuitis toti pendentes obiiciant, & auctoritatem Pontificis minuant, ac sedis Apostolicæ ius circumscribant. Verum istos longissime fugit ratio, cum tam spectata sit omnium illorum Principum erga sedem Apostolicam reverentia ac pietas, vt nihil magis Pontifici optandum videatur, quam vt ipsi Iesuitæ officij erga sedem Apostolicam exemplum à Principibus expetant, aut certe suo siue exemplo, siue magisterio deteriores, minusque obsequentes reddere eos caueant, quod non vereor, ne non facillime iis persuadeam, qui meminerint, quid novo virginum *Iesuitissarum* Ordini nuper admodum vsuvenerit. Iesuitæ pro raro, vel potius inusitato suo gloriæ diuinæ & animarum salutis Zelo supplere cupientes prudentiam, quam Christo defuisse censent, ad providendum omnia ædificandæ Ecclesiæ necessaria, non pauca excogitarunt:

tarunt numquam prius visa, nec audita, ad maiorem Dei gloriam & salutem animarum minore negotio procurandam idonea. Eius generis sunt *Mimi seu Ludi scenici*, quos anniuersarios eosdemque magnificentissimos & sumtuosissimos passim facere solent, de quo gloriæ diuinæ illustrandæ & animabus consulendi modo Apostolis & Apostolicis viris, qui per tot sæcula tanto cum fructu in ea prouincia versati fuere, nihil vmquam in mentem venit. Erant quippe agrammati & Idiotæ, & animas, quam pecunias piscari doctiores. At istos noui generis Piscatores quantum edendis id genus ludis faciant operæ pretium nequaquam pœnitet. Vt enim mittam, quod eorum discipulis plus otij, vacuique temporis & laxamenti ea occasione conceditur, ipsique eo nomine Magistros plus diligunt, maximus etiam ad spectacula illa puerorum & fœminarum, tum virorum non multo vtrisque sapientiorum concursus fieri solet, quorum oculos & aures pegmata, automata, acroamata, histricus puerorum forma vestituque visendorum grex, Mimi aut fabulæ argumentum, actionis concinnitas, magnificus scenæ totius apparatus & cuiusquemodi præstigiæ episodiorum loco interiici solitæ oblectant, & Iesuitas tantæ voluptatis artifices & architectos eis conciliant, carosque reddunt. Accedit quod sic occasio eis nascitur Principes ac Magnates sine vllo pudoris impendio & sine Adulationis nota coram in os laudandi, & virtutes eorum, quas siue habent, siue habere debent, magnifice per os puerorum, quibus agendi partes dant, prædicandi. Hinc fieri non potest, quin illi, qui in tanta hominum frequentia tantis se laudibus affectos vident, bene erga Iesuitas animis afficiantur, operamque sibi dandam parent, ne illi tot verba se perdidisse doleant. Et tamen absunt illi ab Adulationis reprehensione, cum quis Poeta fabulam tam palpatricem Actores docuerit, vulgo non constet, neque is aut se auctorem ferat, aut vera esse, quæ scripsit, præstare velit, aut etiam poëtæ, si quid cum mendacio in cuiusquam laudem dixerit, vitio dandum putet. Ita fit, vt neminem quantumuis fœdæ & effrontis Adulationis pudor oneret. Pueri enim aliena verba, quæ iussi sunt in scena recitant, nec quam vera illa sint intelligunt aut quicquam pensi habent. Iesuitæ nihilominus eorum opera, quod volunt, assequuntur, fortunas suas isto Adulationum adiumento fundant ac stabiliunt, vt scilicet in eo Deum imitari videantur, ad quem Dauidis verbum est, *Ex ore infantium & lactentium fundasti robur.* Psal 8. Eandem in Collegiorum suorum parietibus, peristyliis & columnis rationem observare solent, vt nimirum laudes magnatum versibus pictisq; tabulis exhibeant. Charta enim, ligna & lapides ibi loquuntur, nec erubescunt. Quod artificium haud scio an post natos homines ante Iesuitarum exortum cuiquam fuerit æquæ cognitum. Ipsis ergo solis contingit, vt turpissimi & grauissimi criminis fructum & vtilitatem summam capiant sine vlla sua inuidia, possuntq; adhuc (audent quidem certè) illis Apostoli verbis de se gloriari: *Non fuimus aliquando in sermone adulationis, sicut scitis, neq; in occasione auaritiæ, Deus testis est: nec quærentes ab hominibus gloriam, nec quasi hominibus placentes, sed Deo, qui probat corda*

*bat corda nostra*, 1. Thes. 2. Non est quidem paulum modo intelligentioribus obscurum, lucri occasionem ne in isto quidem scænico negotio eis deesse, eosque multo amplius, quam quantas ludorum eiusmodi apparatus impensas postulet, à diuitibus corrogare posse. Si enim omnis impensa non sit plus quingentis aureis, illi à diuersis, quorum nemo cæteris est conscius, quantumque singuli contulerint ignorat, facile mille nos conficiunt, eoque pacto quingentos ad quæstum prædamque revocant. Verum quoniam *si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit*: alij quidem eadem facientes, sed non eodem fine aut consilio. Adulatores & Auari merito perhiberentur, quoniam nequam & tenebrosus est eorum oculus, sed Iesuitæ *ad maiorem* scilicet *Dei gloriam* omnia referentes, vtriusque vitij impunitatem sibi deberi persuasum habent, in eoq; Principes & divites, eorum præsettim laudationibus deliniti, eis non ægre assentiuntur. Huic geminum germanum artificium fuit *Iesuitissarum* sectæ ad operam in promouenda animarum salute navandam institutio, quam maximis Principibus ac fœminis præpotentibus Iesuitæ tantopere commendarant, vt minime dubium eis esset, quin puellæ linguam latinam, Rhetoricam, Dialecticam & Religionis controuersias Virginum Iesuiticarum magisterio edoctæ, ingens in Hæreticis subigendis, & ad Ecclesiæ complexum reducendis momentum facturæ forent. Quis enim temere vsque eo barbarus inueniretur, qui virgini, quæ Latine loquatur, *& curtum sermone rotato Torqueat enthymema*, tum velut è pharetra depromptas propheticas & apostolicas sententias loquatur, contentiosius repugnare nec manus dare velit? cum scriptum sit de Fæminei sexus πιθανάγκῃ summaque persuadendi facultate: *Irretiuit eum multis sermonibus, & blanditiis labiorum protraxit illum. Statim eum sequitur quasi bos ductus ad victimam. Multos vulneratos deiecit, & fortissimi quiq; interfecti sunt ab ea.* Iste tamen noui generis Apostolatus Summo Pontifici numquam se probare potuit, quoniam ab Apostolo scriptum meminerat 1. Cor. 14. *Non permittitur mulieribus loqui in publico, sed subditas esse, si quid volunt discere, domi viros suos interrogent* Et Eccli. 42. *A muliere procedit iniquitas viri. Melior est iniquitas viri, quam mulier benefaciens.* id est, multo minoris periculi est versari cum viro iniquo & aspero, quam cum fœmina blandiente. Et Isai. 27. *Mulieres venientes & docentes eos, non est enim populus sapiens* Itaque Pontifex Viragines istas ad docendum publice sic prurientes, deque contraversis Fidei capitibus disputare & munere magistrorum Iesuitarum, ad quorum similitudinem sibi creatæ videbantur, fungi gestientes, nihil nisi Vepres ac Sentes esse censuit: quæ quod tetigere, illico rapiunt: si eas ereptum, illico scindunt. Earum proinde senticeta siue Collegia, non aliter quam *Vepres in agro Ecclesiæ excrescentes* (sic ipse in Bulla sua Romæ ac Viennæ typis descripta loquitur) *mature euellere satagēs Episcopis ac Nunciis diuersis mandauit, vt Iesuitissas serio monitas à temerario incepto ad saniora consilia reuocarent: illæ tamen* (re scilicet cum Magistris & conscientiarum moderatoribus Iesuitis communicata, ac fretæ Principum & Heroinarum Iesuitis addictarum fauoribus) *post*

*habito Dei timore & sedis Apostolica respectu in graue animarum suarum praeiudicium & bonorum omnium offensionem arrogantis contumacia non modo Pontificiis monitis non paruerunt; sed etiam similia in dies attentare, ac multa sana doctrina aduersantia proferre non erubuerunt*, quoniam Magistrorum & Confessariorum auctoritas frontem earum virginalem commasculauerat facileque persuaserat, cum Pontifex velut Iurisconsultus à Theologicis semper fuerit remotior, nequaquam eum postulaturum, vt de rebus ad Religionis incolumitatem & incrementum pertinentibus plus Iesuitis sapere existimetur, neque etiam, vt eorum voluntati tantorumque Principum suffragationi aduersetur, animum temere inductu-rum. Quod autem pro explorato id Iesuitae habuerint, & Pontificem suis ingratiis vellet, nollet, Iesuitissarum sectam toleraturum statuerint, illustre Dillingenses Iesuitae dederunt documentum. Cum enim scirent ex compluribus Pontificis literis ad Nunciam Apostolicum & nonnullos locorum Ordinarios siue Episcopis missis, *grauem hoc animi molestiam ei attulisse*, quod Iesuitissae citra *vllam sedis Apostolica approbationem aduersis Conciliorum Sanctionibus & Pontificum decretis nouam Religionem instituissent, seque hoc temerarium earum inceptum nequaquam tolerare posse, sed Vepres istas agro Dei matura velle euellere*: hanc, inquam, illi Pontificis voluntatem scientes, vt eam ludibrio se habere, ac sine effectu & irritam futuram sibi videri, in totius orbis conspectu testatum facerent, eique velut reluctanti & ad voluntatem ipsorum adacto ac victo insultarent, in *Placida* quidem *Disceptatione* facie 46. in *Iusta* vero *Defensione* pag. 61. & 73. haec verba recitant velut Romae Pontifice annuente scripta.

*Intentio Pontificis & Cardinalium, Praetendit Sanctissimus Dominus Noster, vt Monasteriorum quorundam bona per suam Sanctitatem applicentur communibus vtriusq; sexus puerorum scholis, cum Catholicis ac piis ludimagistris, qui pueros doceant, ac in Catholica fide & bonis moribus educent.*

Quis non videat, eos Pontificem palam habere ludubrio, cuius *intentionem & praetensionem* (siue voluntatem ac postulationem) esse volunt vt ex Monasteriis fiant Scholae puerorum qui sint vtriusque sexus: quasi vero Pontifex tam sit rerum imperitus, vt in Germania Androgynos vel Hermaphroditos vulgo nasci putet, quibus integrae Scholae expleri queant. Sin postulare credatur, vt pro vtroque sexu Scholae condantur, adhuc tamen ad irrisum eius pertinet, quod fingitur velle, *vt puerorum & puellarum Schola sint communes*, cum talia communia gymnasia sint *seminaria faecundissima*, quasi gymnicorum ludorum inter nudos commissiones ibi fieri velit. Tandem ne illud quidem non perridiculum est, quod Pontificem velle fingunt, vt in Scholis illis, quas puellae & pueri communes habent, Catholici & pij Ludimagistri doceant: vt propemodum Iesuitae videantur referre velle vetus exemplum Barbosi illius, de quo apud Marianum Scotum in Chronologia anno 1053. legimus. *Ardericus Barbosus in Hibernia, vir valde famosus & mira Religionis.*

*Ipse enim*

*ipse enim fœminas & puerulos more Clericorum coronando tondebat, & fœminas conversas prædicabat debere Coronas habere, non velata capita: earumque* (conversarum seu Religiosarum) *Scholam & puellarum, & puerorum, & laicorum multam habebat. Ob id ex Hibernia proiectus est.* Sed ita nempe res est. Iesuitæ isti Latini non nimis docti significare voluerunt, velle Pontificem, vt Monasteriorum quorumdam vectigalia ad publicas, non communes, partim puerorum sub Iesuitis, partim puellarum sub Iesuitissis Scholas conferantur. Quæ quidem res si quemadmodum vel invito Pontifice futurum Iesuitæ persuasissimum habebant, ex sententia eis successisset, merito illi polliceri sibi poterant, se quicquid ipsi per se minus possent, per suas illas Hypodidascalas earumque discipulas, amicas & patronas, Principum, magnatum, ministrorum Regiorum & aliorum non æque fortasse Iesuitis propitiorum vxores aut filias perfacile impetratum daturos, nec multo tempore totius prope Christiani orbis imperium Patriarchæ suo confecturos esse. Sed Pontifex siue hoc eos moliri suspicatus, siue vltra ferendam non ratus tantum fœminarum ac puellarum impotentiam, impudentiam & contumaciam, Bullam illam anno superiore promulgauit, quæ *prætensa Congregationis Iesuitissarum suppressio* inscribitur, & istam coniuratam mulierum cohortem non aliter, quam petræ iactus quantumvis magnum avicularum globum disiecit ac dissipauit. *Habita*, inquit, *cum Cardinalibus Inquisitoribus matura consultatione de illorum vnanimi consilio & consensu prætensam Congregationem mulierum seu Virginum Iesuitissarum nuncupatarum illarumque sectam & statum ab ortus sui primordio nullos & inualidos, nulliusque roboris vel momenti fuisse & esse, Apostolica auctoritate decernimus & declaramus: & quia de facto processerunt, eadem auctoritate penitus supprimimus & omnino extinguimus, perpetuaque abolitioni subijcimus & ab Ecclesia Dei funditus tollimus, delemus & abrogamus, ac pro suppressis, extinctis, avulsis, deletis & abolitis ab OMNIBVS Christi fidelibus haberi & reputari volumus & mandamus, in virtute Sanctæ Obedientiæ & sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda &c.* Hæc Bulla sic publicata repræsentauit nobis illud Psalmi: *Fulgura coruscationem, & dissipabis eos*, & Eccli. *Mittens lapidem in volatilia, disiecit illa.* Nec enim quisquam Principum tanta est perversitate, vt cum propter sedem Apostolicam Iesuitas amet, nunc propter illos sui factos dissimiles sedem Apostolicam contemnere velit aut offendere. Non igitur vlla est dubitandi ratio, si Principes Pontificem & Cardinales per literas rogare velint, vt Societati tam bene de Ecclesia ac Fide Catholica meritæ, nec minus postmodum merituræ suppetias ferant, & immineti eius exitio anteuertãt, quin maxime impetrabilis oratores sint futuri: cum præsertim tantæ facilitatis sit, auctoritate Pontificia omnibus Societatis morbis salutarem fieri medicinam, tollenda scilicet omnium eius malorũ causa, fonte & origine, quã Mariana describit, Monarchia scilicet & absoluta illa Patris Generalis dominatione,

quam præter Prouinciales & Rectores, quique eis ſuppalpantur & ipſi quoque ad officia adſpirant (qui fortaſſe vix quingenti in tota Societate numerantur) reliquis omnibus inviſam eſſe, ac propterea ab illis mutationem imperij votis omnibus expeti rationi eſt conſentaneum. Sanandæ ergo Societatis & in Statum cum glorioſum, tum amabilem, tum denique Eccleſiæ ac Reipub. Chriſtianæ multis modis conducibilem reducendæ facillima erit ratio ex eiuſdem ſapientiſſimi hominis Marianæ ſententia, ſi Monarchia illa Ariſtocratici imperij mixtione temperetur, quod quidem futurum ille iudicat, ſi quatuor leges in perpetuum duraturæ in Societate figantur. Tamquam

1. *Generalis Societatis Præpoſitus legibus ſit devinctus, vt & ipſe iis ſe teneat, nec quemquam ſine Prouincialium conuentuum ſeu Congregationum conſilio iis ſoluere, ſeu cum quoquam diſpenſare poſſit.*
2. *Conuentus Generales ſtatis temporibus habeantur, & loco omnibus nationibus commodiore.*
3. *In Conuentibus Generalibus adminiſtrationis ſuæ rationes Præpoſitus Generalis reddere, eorumque decretis parere neceſſe habeat.*
4. *Conuentus Prouinciales, vel certe Præpoſiti prouinciales vna cum optionibus ſiue Aſſiſtentibus (quos prouinciarum ſingularum cætus ſuis ſuffragiis elegerint, & Pater Generalis confirmauerit) ius habeant Rectores, Procuratores Miniſtros, aliosque officiales conſtituendi & abigendi, Sociorum quos velint ad profeſſionem admittendi, peccantes puniendi, Doctoris in Eccleſiis ac Scholis munus dandi, & adimendi, quos & quo velint ablegandi omnia denique illa faciendi, quæ certam & diſtinctam rerum ſingularium & perſonarum notitiam requirunt, neque tantum moræ ferunt, vt ea in Romam referatur, indeque reſponſum exſpectetur.*

In iſtis legibus nihil prorſus nec iuſto vel æquo contrarium, nec Societati diſconducibile, aut vtilitatibus eius alienum eſſe, cum diſtinċte ac ſigillatim Mariana demonſtrat, tum omnes prudentes exiſtimatores ſponte ſua intelligunt. Quam multiplex porro ex iſta nomotheſia exſpectanda ſit vtilitas, in viri cuiuſdam docti ſcripta conſultatione accurate demonſtratum vidi, quam quoniam propediem exituram exiſtimo, me hic longiorem eſſe nihil attinet.

Vt autem Principes Societatis reformandæ neceſſitatem tanto plus intelligant, & ad eam conſeruandam tanto promptioribus animis concurrant, minime præter rem facturus mihi viſus ſum, ſi *Relationem de rebus Iaponenſis* ab Illuſtriſſimo Regis Oxenſis ad Sedem Apoſtolicam Exlegato, & Religioſiſſimo Chriſti apud Iapones Apoſtolo ac deſignato Martyre, ſeu Martyrii candidato, Pontifici miſſam, ante meum ex Germania diſceſſum publici iuris facerem. Nam præter alia, quæ cognita eis minime ingrata fore ſpero, hoc etiam liquidò in ea Relatione perſpicient; niſi Societas reformetur, & ad dies adoleſcentiæ ſuæ reuertatur, eius homines non modo momenti haud multum facturos ad Evangelium inter infideles promulgandum ac propagandum, ſed etiam remoram

moram aliis & impedimentum obiecturos, quibus se pressuram suscitare existimabunt; quod quidem non ab alia causa faciunt, nisi quia *in astutia & carnali sapientia ambulant, quærentes quod ipsis vtile est, non quod multis, vt salui fiant*, (2.Cor. 2.& 4.& 1 Corint.9.) qua de re audire est operæ pretium, quid cantet liber, qui *Gloriosus Franciscus redivivus* inscribitur Ingolstadij anno 1625. editus pag 465. *Iesuitæ à Gregorio XIII literas impetrarant, quibus vetaretur, ne aliqua alia Religio præter Societatem Iesu in Iaponem ad prædicandum Evangelium proficisceretur. Vsi fuerant hoc prætextu, evitandas confusiones & pericula in Evangelij disseminatione, ac diversitate prædicationem insurgentia. Et P. Xauerium hanc nouam Vineam prolixis diuturniq; laboribus fructu cumulatissimo sequente plantare cœpisse. Cum anno 1592. Gubernator Manilæ in Insulis Philippinis Franciscanos in Iaponem mittere decreuisset, Iesuitæ ad valuas Manilæ Pontificum Diploma affixerunt. Sed variarum familiarum Religiosi decreuerunt, missionem illam nequaquam Pontificiæ voluntati obsistere, siquidem earum insularum bonum vniuersale ageretur, quod per Positiuam legem (quæ tali casu vim obligandi amitteret) haudquaquam præiudicium sustinere deberet, maxime diuina & naturali lege superueniente, præsertim cum Patres S. Francisci iam olim ex Breui Sixti V. facultatem prædicandi Evangelij in Indiis occidentalibus, inter quas etiam insula Iapona continentur, acceperint.* Hinc porro omnes vident, quã nihil pensi Iesuitæ habuerint tot millena animarũ millia in paganismo potius interire, nec ad Christi cognitionẽ adduci, quã aliorũ Christianos fieri. Quis ergo credat, qui ex illis sic animo affecti sunt, quod aliis vtile est quærere? An propterea innumerabiles Evangelii luce carere debẽt, donec Xauerius, aut eius habitum indutus adueniat? Nonne S. Petrus Romæ nouam Vineam plantare cœpit? nec tamen S. Paulus propterea nefas se facere censuit, si & ipse ad eius Vineæ culturam accederet, qua de re ipse sic scribit Rom.1. *Desidero videre vos, vt aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis ad confirmandos vos. Sapientibus & insipientibus debitor sum. Itaque quod in me, promtum est & vobis, qui Romæ estis, Evangelizare.* Si S. Petrus eodem, quo isti Iesuitæ, spiritu agitatus fuisset, Paulum facessere procul iussisset. Sibi enim à Christo dictum, *Pasce oues meas*, *& Deum elegisse per os eius audire gentes verba Evangelij & credere*, Ioh.1.& Act.15. Excommunicasset ergo Paulum, & Martyris postea affectum, successor Petri contenderet mortuum in excommunicatione & sine caritate, adeoque Diaboli, non Christi martyrem censendum. Ita certe Iesuitæ annis abhinc quasi triginta Romæ fecerunt, nam litem cum ordine meo in Rotæ duodecemvirali iudicio sunt contestati de Martyrio nostrorum propter Evangelij prædicationem crudelissime interfectorum. Hos Iesuitæ postulabant declarari incurrisse in Excommunicationis sententiam à Pontifice latam, adeoq; velut contumaces & Caritate, quæ non inflatur, prorsus vacuos ac maledictos discessisse in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis eius. Sed quoniam satis constabat, messem in Iaponia tam esse copiosam, vt optandum esset, omnes ad vnum Iesuitas eò mitti, satis ibi operis inuenturos, quoniamq;

 dubium

dubium erat, Iapaniam in Oceano Pacifico sitam extremæ Indiarum Occidentalium partis accessionem censeri, nobisque ad eam per Sixti V. Bullam adeundi ius & commeatum esse, causa Iesuitæ ceciderunt, nec aliorum irrisu, nonnullorum quoque stomacho invidia earum caruit, Apostolicam illam sententiam in eos intorquentium: *Si zelum amarum habetis & contentiones in cordibus vestris, non est vestra Sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, Diabolica.* Quod si quis curiosior scire expetat, quænam vera fuerit causa, cur Iesuitæ à Gregorio XIII. contenderint, vt ipsi soli ad Iapaniam accedendi Ius haberent, & cæteri Religiosi eius aditu arcerentur, ei non vereor, ne tres, quas afferam causas, non sim facillime probaturus. Prima est, quoniam non iniuria metuunt, ne ipsi iaceant, præque aliorum Ordinum Religiosis contemnantur, qui ex Voto paupertatem non modo priuatim pro se quisque sed etiam communiter colunt, & medicando victum quæritant, ita vt neque suo proprio, neque communi Monasterii nomine opes possidere possint, tum etiam Apostolicam vitæ asperitatem ac duritiem, omnemque ieiuniorum, famis, sitis, frigoris, nuditatis, vigiliarum, aliarumque rerum carni molestarum patientiam oculis exhibent, noctu denique ad laudes Deo canendas exsurgunt. Ista magnam aliis religiosis auctoritatem conciliant, quorum nihil in Iesuitis videntes Ethnici, facilius animum inducunt, vt Monachos fidei ac morum magistros habere velint. Hinc primæ Iesuitis lacrimæ. Altera causa est, quoniam arbitros & conscios reformidant, per quos sibi minus licere intelligunt de suorum rebus præclare gestis quantas velint Iliadas condere, & in Europam quotannis mittere. Si nulli in Iapania essent Monachi, tum ipsis liberum foret de ingentibus miraculis à se patratis, deque multis animarum millionibus ad fidem conuersis per epistolas & libros editos magnificè gloriari. Nec enim difficile eis foret homines inuenire, qui se Iaponiæ Imperatoris, aut Regum aliorum ad Pontificem & Christianos Europæ Reges & Principes legatos ferrent, eisque fucum facerent, ac multis eorum donis & muneribus onusti domum reuerterentur. Quod si autem aliquo postea casu Christianæ religionis statum in Iapania afflictum esse, & Legatorum eiusmodi relationes fraudulentas fuisse suboleret, tum in promtu eis esset vt dicerent, Imperatorem illum rebus humanis excessisse, eique successisse hominem Religioni Christianæ infestum, eaque causa bellum coortum: ex illo omnia contigisse, *in peius ruere & retro sublapsa referri.* Hoc nempe credere eis necesse haberet, qui non ipse naue conscensa in Iapaniam proficisci, & oculorum experimentum capere vellet. Tertia causa est, quoniam si desint in Iapania aliorum Ordinum Religiosi, à quibus observentur, mercibus alibi permutandis, alibi pretio parandis, alibi vendendis quæstum facere, & tamquam Clerici sine vlla suspicione, aut vectigalis vel portorij soluendi necessitate gemmas & margaritas in Europam transportare possunt, quemadmodum eos Theriacæ mercaturam Romæ facere videmus. Sæpe etiam rapacissimo hominum, vel potius Harpyarum generi, Proregibus & Guberna-

bernatoribus Hispanicis Munera mittere queunt, vt ijs vtantur beneuolis, & ad alios præcipue Religiosos, ne ad Iapaniam accedant impediendos ac Vinclis & carcere frenandos, vel saltem nauigiorum copia priuandos, eorum gratia, auctoritate & imperio adiuuentur, eaque omnia *ad maiorem Dei gloriam.*

Neque tamen hoc postulo, vt eo omnes ingenio esse existimentur. Fatendum enim est, plerosque non per istiusmodi lucri & auaritiæ occasiones, neque per contentionem aut inuidiam, vtque pressuram Monachis suscitent, Euangelium annunciare, sed sincere, ex caritate & bona voluntate: etsi eorum superiores ex Hæresi Vitelliana, quibus præcipue Patris sui Generalis amplum imperium & Monarchia, tum suum quod inde capiunt aut captant compendium cordi est, ipsorum virtute ac pietate ad suos fines abutuntur, quę causa est, cur nos aliorum Ordinum Religiosi eos non modo à Vinea Dei colenda exclusos & Martyrii nomine fraudatos nolimus, vt contra gaudeamus, plures eorum strenuos se Dei operarios præbere, quomodo & Paulus satius esse censebat *Euangelium à canibus, malis operariis, auaris, inuidis, contentiosis, inimicis crucis Christi & terrena sapientibus prædicari,* quam Gentiles à nemine id audire, Philip. 1. *Quid enim,* inquit, *dum omnimodo siue per occasionem, siue per veritatem Christus annuncietur, & in hoc gaudebo.* Veruntamen quamuis nos similiter ex huiusmodi operariorum Societate gaudeamus, facile tamen intelligimus, eos quamdiu Zelo & contentione atque inuidia animum occupatum habent, nec ipsos magnum facturos operæ pretium, & nobis, ne pro laborum impensa fructus redeat, vehementer obstituros. Vt enim de legibus ait Plato: *Certandum est de virtute absq; inuidia, nam Inuidus dum cæteris derogando præstare se putat, cum ipse minus recte ad veram tendit virtutem, tum concertatores obtrectatione tardiores efficit.* Accedit, quod minime nos prærerit, quo longius Societatis reformatio prorogatur & extollitur, tanto difficiliorem denique curationem eius futuram, vt ipsa in se experiatur, quod Ægyptus audit Ierem. 46. *Aufer resinam, virgo filia Ægypti: frustra multiplicas medicamina, sanitas non erit tibi.* Itaque votorum nostrorum summa est, vt Principes eius persanandæ curam corde capessere velint. Ita sancta & caritate plena Societati cum maioribus suis sororibus, antiquis dico Religiosorum familiis, erit æmulatio, nec minus Iesuitæ, nostris, quam nos Monachi illorum conatibus fauebimus, & bene precabimur, atq; incrementum rigantibus ac plantantibus contingere gratulabimur.

Cæterum quoniam experiundo didici, non paucos Magnatum blanditiis Iesuitarum ita captos & irretitos teneri, vt quamuis Marianæ & Aquauiuæ de grauissimis Societatis morbis confessionem, querelam, malumque maturi exitij omen & augurium audiant, nondum tamen persuadere sibi possint, quicquam apud Iesuitas secus se habere aut reformationis indigere: propterea libet quasi rediuiuum Germanis excitare *Petrum Canisium,* testatissi-

testatissimæ virtutis & eruditionis Iesuitam, hoc est, non nulla recitare loca ex vita eius à Francisco Sacchino scripta, & anno 1616. Ingolstadii edita, vt vel ex eorum, qui primas hodie in Societate tenent, cum Canisio comparatione intelligi possit, quantum Societatis mores mutauerint, quantumq; Canisius dolorem capturus videatur, si hodie in terris exsisteret, & tam multa passim à Sodalibus suis, tam nulla bonæ famæ cura, nullaq; scandali & publicę offensæ cautione designari videret.

*Ex Petri Canisii Vita pag. 103.*

Canisius quales cuperet esse Socios suos, in literis ad S. Ignatium sic declarat: *Vellem vt omnes, qui venturi sunt ad hoc Collegium fundandum, accederent optime armati Sancta Patientia, & maximo ardentes zelo non ad disputandum, sed ad tolerandum, & ædificandam hanc prouinciam magis factis, quam dictis.*

*Animadversio.*

Recte Canisius iudicavit, longe Ecclesiæ vtiliores, & ad Hæreticos Ecclesiæ reconciliandos magis appositos magisq; efficaces esse homines Religiosos, qui hominum oculis Facta, quam qui auribus VERBA ingerunt, quiq; omnem Patientiam velut Apostolatus signum exhibent, vt qui eam vident, eos Dei legatos esse & veritatem docere credant. Pati enim propter Christum gravissimum Paupertatis onus, famem, sitim, frigus nuditatem, vigilias, ieiunia, iniurias, & contumelias, non minoris virtutis est, quam facere Miracula, effectus autem maioris. Itaque de Apostolis S. Chrysostomus super Matthæum scribit: *Non signa eos mirabiles fecerunt, sed magnos ostendit pecuniarum contemtus, gloriæ despectus, à sæcularibus negotiis separatio: quæ si non habuissent, & si decem millia mortuorum suscitassent, non solum nihil profecissent, sed etiam pro Impostoribus aut præstigiatoribus habiti fuissent. Talis est luminis virtus, vt non solum luceat, sed & illuc ducat eos, qui sequuntur. Cum enim viderint homines omnia præsentia nos contemnentes & ad futura preparatos, ante omnem sermonem operibus nostris credent. Si autem nos præsentibus implicauerimus, qualiter poterunt credere, quod ad possessionem aliam festinemus?* Nullum proinde relinquitur dubium, quin Apostoli plus paupertate & vitæ asperitate ac duritia, quam vel verbi prædicatione, vel Miraculis suis profecerint. Si ergò iam duorum generum Prædicatores suam reducendis Hæreticis aut Gentilibus operam profiteantur, quorum alij victu, vestitu, & omni patientia, ac rerum sæcularium abdicatione Apostolis: alij autem amictu, cibo, potu ac rerum sæcularium implicatione Lutheranis & Caluinianis Verbi ministris similiores videantur, an cuiquam potest esse dubium, quin Chrysostomus & Canisius illos Apostolorum similiores præferendos, hoc vero posteriores minime multum profecturos esse, atque etiam pro Impostoribus habitum iri censeant? quippe quibus Arma desint Apostolica, sine quibus non destruuntur consilia & munitiones & altitudines extollentes se aduersus scientiam Dei nec hominum intellectus in captiuitatem redigitur in obsequium Christi.

Quanta

Quanta vero Patientia armati ſint Dillingenſes Ieſuitæ, documento ſunt bini eorum libri nuper aduerſus Monachos editi, in quibus vix vlla eſt pagina atrociſſimis conuiciis ac maledictis, atq; etiam criminibus capitalibus vacua. Monachi ſcilicet contenderant, ſe non meruiſſe vt ſibi erepta Patrum ſuorum Benedicti, Bernardi, Norberti, Auguſtini & aliorum hæreditas ad Ignatij filios, tamquam ad meliores & Eccleſiæ vtiliores, transferatur. Hanc Ieſuitæ iniuriam interpretantur, & quidem atrociſſimam, ac propterea ſingulis paginis Monachos vocant mendaces, calumniatores, falſarios, ſpiritu immundo plenos, à Patrum ſuorum Regula Apoſtatas ac degeneres filios, & ex Monaſteriis ſuis, quæ adhuc retinuerunt, expelli meritos. Hoc nimirum eſt Apoſtolatus ſignum, quod ſecum afferunt: hæc magna eorum virtus, quæ teſtimonium eorum de fide Catholica credibile faciat nimis. Quis Acatholicorum Ieſuitas videns tam mites & manſuetos, vereque perpeſſitos, non agnoſcat ſtatim Chriſti diſcipulos? Faciunt enim idem ipſum ſcilicet quod de ſe cæteriſq; Apoſtolis Paulus prædicat: *Vſq; in hanc horam & eſurimus & ſitimus & nudi ſumus & colaphis cædimur, & inſtabiles ſumus: maledicimur & benedicimus: perſecutionem patimur & ſuſtinemus: blaſphemamur & obſecramus.*

## *Pag. 141.*

*Epiſcopus & Clerus Argentinenſis pecunia numerum ſatis magnum Caniſio ſæpius obtruſere, & tandem cum impetrare vt acciperet nequiviſſent, clam Ingolſtadium tranſmiſere. Quod protinus ille vt reſciuit, cauſis cur refutaret allatis (opinor ne videretur Evangelium nundinari, & aliquam Hæreticis anſam offerret eius miniſterium vituperandi) quamuis ſumma Collegiorum anguſtia inuitarent & vrgerent, vt miſſa à Domino benedictione vteretur, ad largitores omnem pecuniam remiſit, & nonnulla argenti iactura auxit opes beneuolentiæ, & vectigal boni nominis, quod melius eſt, quam diuitiæ multæ.*

## *Animadverſio.*

Hoc in Caniſio fuit Apoſtolicum, nam & Paulus Apoſtolus cum magnam pecuniæ vim eleemoſynæ nomine ad alendos Hieroſolymitanæ Eccleſiæ pauperes in Achaia & Macedonia collegiſſet, ne cui de ſe ſuſpicioni anſam daret, ſpectatæ fidei hominem ſibi Comitem adiungi poſtulauit, qui pecuniam illam perferret. 2. Corint. 8. *Ordinatus eſt ab Eccleſiis frater quidam, cuius laus eſt in Evangelio per omnes Eccleſias, vt ſit Comes peregrinationis noſtræ in hanc gratiam, quæ miniſtratur à nobis: deuitantes hoc, ne quis nos vituperet in hac plenitudine, quæ miniſtratur à nobis. Prouidemus enim bona non ſolum coram Deo, ſed etiam coram hominibus.* Si recte & laudabiliter ac perfectioni Apoſtolicæ conuenienter Paulus fecit; quod bono nomini ſuo tam ſolicite conſuluit, nec bona conſcientia coram Deo contentus etiam hominibus ab omni auaritia ac propriæ vtilitatis ſtudio remotus videri voluit: conſequens eſt, vt male faciant & accuſatione digni ſint, longeq; ab Apoſtolorum perfectione abeſſe cenſeantur, qui bonum no-

nomen parui faciunt,& commode,laxe,planeque regie habitare, quam bene audire malunt,potiusque orbem vniuersum scandalizari grauissimeque offendi,& Ordini suo vniuerso male ab omnibus dictitari volunt, quam suis Collegiis quicquam ad splendorem,magnificentiam & commoditatem deesse.Hos planissimum est vacare caritate, cum suæ commoditatis aut voluptatis causa non modo alios suæ modestiæ,humilitatis,paupertatis & abstinentiæ exemplo ædificare non curent, sed etiam ea facientes,quæ professioni paupertatis non conueniunt,aliorum conscientiam percutere, & ad ruinam ædificare nihil pensi habeant. Audiatur Apostolus,vt quam istius notæ homines parum idonei sint ad Euangelium hominibus prædicandum, tanto exploratius iudicari possit.1.Thes.5. *Ab omni mala specie vos abstinete.* Rom.12. *Nolite esse prudentes apud vosmetipsos: Prouidentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. Si fieri potest,quod ex vobis est,cum omnibus hominibus pacem habentes, non vosmetipsi defendentes.* Rom. 14. *Quæ pacis sunt sectemur, & quæ ædificationis sunt, inuicem custodiamus. Nemo enim nostrum sibi viuit.* Rom. 15. *Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, & non nobis placere,* id est, non debemus contenti esse nostra conscientia,& aliorum de nobis iudicia, murmurationes & detractiones contemnere. *Vnusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum ad ædificationem.* 1.Corinth.8 *Videte ne licentia vestra offendiculum fiat infirmis. Sic enim peccantes in fratres & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis.* 1.Corint.9. *Non sum liber? numquid non habemus potestatem manducandi & bibendi, & mulierem sororem circumducendi? Sed non vsi sumus hac potestate, ne quod offendiculum demus Euangelio. Cum essem liber ex omnibus, omnium me seruum feci, vt plures lucrifacerem.* id est,libertatem habebam multa faciendi, sed factus sum velut seruus,& illa agendi libertate me abdicaui,vt homines melius de me existimarent,meque libentioribus animis audirent. 1.Corint 10. *Omnia mihi licent,* quæ aliis, *sed non omnia ædificant.* (*Ego* autem *tamquam sapiens architectus* (1.Corint.3.) *datus sum in opus ministerij in ædificationem corporis Christi*, Ephes. 4.) *Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius. Sine offensione estote Iudæis & Gentilibus & Ecclesiæ Dei: sicut & ego per omnia omnibus placeo,non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis,vt salui fiant. Imitatores mei estote,sicut & ego Christi.* Canisius ergo Paulum imitari volebat remittendo pecuniam, quæ ipsi ad Collegij Ingolstadiensis ædificationem missa fuerat. Sciebat enim Christum dedisse Pastores & doctores *in ædificationem animarum,* non Collegiorum Principe dignorum, & malum omnino architectum, & ædificationi corporis Christi ineptissimum esse,qui in magnis pecuniarum summis hinc inde corrogandis & emendicandis occupatur, vt sibi ac sociis magnificam domum ædificet, & interea bonum Ordinis sui nomen destruere, malam speciem & ministerij sui vituperandi occasionem hominibus præbere, & conscientias hominum infirmas percutere non dubitet, omninoque pecuniarum,quam animarum lucrum facere præoptet. Viderint ergo Principes, quam pro se Christo rationem red-

ditur|

dituri ſint, & ad Eccleſiæ ædificationem architectos & fabros adhibeant tam parum ea, quæ ædificationis ſunt, cuſtodientes, pluſquam de ſua ac ſodalium, quam de Chriſti domo, ædificanda, id eſt, magis de parandis opibus, quam de animabus purgandis, illuminandis, & perficiendis ſolicitos. *Neſcitis, quia Templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos*, ait Paulus 1. Corint. 3. Qui ergo aliis dant offendiculum, eoque faciunt, quominus Deus in illis habitet, illi templum Dei deſtruunt, quod neſcio quam cordi ſit primario illi Ieſuitæ, qui dum molem nulla neceſſitate à ſe cœptam alienis impenſis emolitetur, Principis & Abbatis Fuldenſis Legato dicere non erubuit: *Princeps tuus ad ædificationis à me cœptæ impenſas quingentos quidem florenos contribuit, quo nomine illi gratiam habeo, cæterum ipſa ædificatio extremam manum nondum recepit.* Audisne hæc Amphiaraë ſub terram abdite? Tu, inquam, Patre Caniſi, hunc Societatis tuæ hominem & S. Ignatij diſcipulum duceres? Tu cuiuſquam Principis animam eiuſmodi æruſcatori, tam proiectæ ad exenteranda aliorum marſupia impudentiæ tuto credi putares? Tu Societatis bonum nomen, mille theſauris magnis & pretioſis præſtabilius, & ad rem ex vſu gloriæ diuinæ animarumque ſalute gerendam tam neceſſarium, iſtius improbi vanitate & auiditate decoqui ferre poſſes? Immo vero qui talem ferre poſſunt, in eos illa Pauli verba recte conferri iudicares 2. Corint. 11. *Suſtinetis, ſi quis vos in ſeruitutem redigit, ſi quis deuorat, ſi quis accipit (nec vmquam dicit ſufficit*, Proverb. 30.) *ſi quis extollitur, ſi quis in faciem vos cædit. Eiuſmodi Pſeudoapoſtoli ſunt operarij ſubdoli miniſtri Satanæ, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti, & velut miniſtros iuſtitiæ, quorum finis erit ſecundum opera ipſorum.*

*Pag. 142.*

*Tridentinus Cardinalis Caniſium ſecum ire cupiebat ad excitandum Tridenti Collegium. Dux vero Bauariæ iam non Monachij ſolum ſed & Landshutæ primo quoque tempore Collegium inchoari volebat, vt laborandum eſſet Caniſio, vt feſtinationem & ardorem Principum temperaret, illud in primis cauenti quoniam Monaſteria vetuſta in noua hæc opera deſtinabantur, vt id nequaquam attentaretur, niſi & auctoritas ante ſummi Pontificis, & aſſenſus veterum poſſeſſorum requireretur, & Societatis ad vulgus recta opinio, hoc eſt, Fama & exiſtimatio ſalua eſſet.*

*Animadverſio.*

Hoc quoque Apoſtolicum dedit Caniſius, quod *abdicauit occulta dedecoris*, neque ſe dignum duxit *ambulare in aſtutia, ſed veritatem hominibus manifeſtauit*, eoque pacto *ſe commendauit ad omnem conſcientiam hominum coram Deo, ex ſinceritate coram Deo loquens*, μηδὲ δολοῦντες τὸν λόγον τοῦ θεοῦ, *nec doloſe verbum Dei tractans*, quemadmodum de ſe Paulus prædicat 2. Corinth. 2. & 4. qui etiam docet hoc eſſe *in ſimplicitate, & ſinceritate Dei, & non in*

*Sapientia carnali conuersari in mundo*, 2.Cor.1. *Maxime Astutiæ* scribit Cicero, *omnia ad suam vtilitatem referre*, si præsertim eam se spectare dissimulet, & emolumento, quod verbis refutat ac spernit, occulta via tamen potiatur. Huius Astutiæ suspicionem pseudoapostolos in Paulum commouisse apparet, quasi cum Corinthi esset atque egeret, ipse quidem nemini onerosus aut grauis fuerit, sed sine onere se auditoribus seruarit, postea tamen discipulum suum Titum ad eos miserit, qui oblatas pecunias minime aspernaretur, sicque Paulus fugitiuum illud argentum è manibus amissum tamen reprehenderit. Hanc à se suspicionem Paulus operosè amolitur huiusmodi verbis. 2.Cor.12. *Sed esto: ego vos non grauaui: sed cum essem astutus, dolo vos cepi. Numquid per aliquem eorum, quos misi ad vos, circumueni vos? Rogaui Titum, & misi cum illo fratrem. Numquid Titus vos circumuenit? nonne eodem Spiritu ambulauimus? nonne iisdem vestigiis? Olim putatis, quod excusemus nos apud vos?* (quasi dicat non est, quod puteris, mihi apud homines tantum paratam esse excusationem, qui cordis mei arcana non perspiciunt) *coram Deo in Christo loquimur* (id est, Deum iuro testemque do) *Omnia autem carißimi propter ædificationem vestram.* Simili iure iurando vtitur etiam, 1. Thes.2. *Exhortatio nostra non fuit in dolo*, siue astutia lucri occasionem spectante, *sed sicut probati sumus à Deo, ita loquimur, non quasi hominibus placentes, sed Deo qui probat corda nostra. Neq; enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis: neq; in occasione auaritiæ, Deus testis est.* Hinc facile est intellectu, Apostolico Doctori necessarium esse, vt non tantum absit ab Astutiæ crimine, neque suæ vtilitatis aut gloriæ causa munere suo fungatur, sed vt etiam absit ab Astutiæ suspicione, nec quicquam sibi quærere credatur. Illo enim suæ, hoc vero auditorum saluti consulit, eosque ædificat. Ad ædificationem ergo corporis Christi tam ineptus est (fortassis autem haud paulo ineptior) qui de Astutia præter meritum suum suspectus est, quam qui cum id ei sit vitium, eo tamen vacare creditur. In quam sententiam & S.Ignatius discesserat. Vt enim in vita eius lib.2.cap.8. Maffeius auctor est, *Omnium qui ad rempub. accedunt rationes non veritate solum, sed etiam Fama nixi censebat.* Huic sententiæ magnum à D.Augustino pondus accedit; cuius lib.22. de bono Viduitatis verba sunt: *Quisquis à criminibus flagitiorum & facinorum vitam suam custodit, sibi benefacit: quisquis autem etiam Famam, & in alios misericors est. Nobis enim necessaria est vita nostra, aliis Fama nostra.* Ex istis perspicuum euadit, quæ res Canisium mouerit, vt Societatis suæ Famam & existimationem vsque eo curæ habuerit, eamque paucioribus Collegiis incolumi fama potiri, quam ex magno Collegiorum numero de ipsa conquerendi aut male cogitandi occasionem cuiquam præberi satius multo duxerit. Sociis scilicet ad animarum suarum salutem necessaria erat vita innocens, auaritiæ & ambitioni minime affinis: aliis autem, quos aut ab erroribus ad veritatem, aut à vitæ prauitate ad bonam frugem reuocare cupiebant, necessaria erat Fama & nomen bonum: sine qua fama nihil plus, quam sine doctrina & virtute profecturos eos Canisio satis exploratum videbatur. Si enim *Fama bona impinguat ossa*

(Prover-

(Prov.15.) siue vires ad rem bene gerendam sufficit: consequens est, vt quantum de Societatis Fama deminuitur, tantundem facultati eius bene de gloria Dei deq; animarum salute promerendi abscedat.

---

# CAPVT XV.

*Pag. 160.*

*Conuentus Augustanus exitum satis commodũ habuit. Dimissi enim Antistites sacri cum eo, vt pollicerentur, se & Synodos habituros, & Gymnasia restituturos, & consuetudines prauas vitioq; publica, quoad consequi possint, correcturos. Quæ fuerat Canisij sententia, qui eosdem Præsules & vocibus, & lucubrationibus ad morum correctionem numquam destiterat incitare..*

*Et Pag. 124.*

*Canisius haud nullo negotio sacrorum Præsulibus persuasit, vt consultationes instituerant de Clericorum Ordine corrigendo, cum res siue in capitibus, siue in membris summe necessaria esset.*

*Animaduersio.*

Nequaquam scilicet Canisium fugiebat, si Episcopi & Clerici officium faciant, tum & ipsos cum populis curæ eorum commissis saluos fieri, & Hæreticis omnem ad nocendum aditum obstrui. Sicquippe Paulus docet 1. Tim. 4. *Exemplum esto fidelium in verbo, in conuersatione, in caritate, in fide, in castitate. Attende lectioni, exhortationi & doctrinæ, insta in illis. Hoc enim faciens & te ipsum saluum facies, & eos qui te audiunt* Et Christus Ioh. 10. *Pastor ante oues vadit* ( id est, exemplo eos docet facere ad salutem necessaria) *& oues illum sequuntur, quia sciunt vocem eius* (vocem nempe virtutis, & sermonem in potestate; vocem non inanem, sed cum ostensione spiritus & virtutis, quia veri Pastores *Evangelizant verbum virtute multa.* Ps. 56. *& voci eorum dat Deus vocem virtutis* Psal. 67. *Ita stupebant homines in doctrina Christi, quia in potestate erat sermo ipsius,* Luc. 4. *Docebat* enim *sicut potestatem habens, & non sicut scribæ & Pharisæi, qui dicebant & non faciebant,* Matth. 7. & 23. Sicque inani verborum sono hominum aures implebant. Similiter & Apostolorum *prædicatio non fuit inanis, neque in sermone tantum sed in virtute & in plenitudine multa, siue in ostensione spiritus & virtutis,* 1. Thes. 1. & 2. & 1. Corinth. 2. Talem ergo *Pastoris vocem sciunt* seu nouerunt *oues*, & vocem atque exemplum eius sequuntur) *Alienum autem non sequuntur sed fugiunt ab eo*, ab eiusque doctrina sibi cavent quia *non nouerunt vocem alienorum*; neque eam audire animum inducunt, tamquam multum à pastoris sui voce diversam. Ita videmus, nihil Catholicis ab Hæretica doctrina periculi esse, si Episcopi simul verbo & exemplo eos doceant. Sin autem Pastoris officium facere pigrentur, & *Evangelium*

*erubescant* (Rom.1.) ac Verbi prædicationem infra dignitatem suam esse censeant, eamq; aliis delegare satis habeant, aut *alios quidem doceant sed seipsos non doceant* (Rom.2.) itaque *lingua* quidem *Angelorum loquentes, sed caritate destituti sint velut æs sonans & cymbalum tinniens* (1.Cor.13) *& cum aliis prædicauerint, ipsi reprobi efficiantur* (1.Cor.9.) tum populos perdunt, tantisq; obsunt, quantis præsunt, & in errorem eos inducunt, ac simul Hæreticorum insidiis opportunos faciunt, vt facile sibi quicquid illi volunt persuaderi patiantur. Ierem. 50. *Grex perditus factus est populus meus: Pastores eorum seduxerunt eos, feceruntq; vagari in montibus. Omnes qui inuenerunt comederunt eos.* Ezech. 34. *Væ Pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos. Lac comedebatis, & lanis operiebamini & quod crassum erat, occidebatis* (siue stipendium Episcopo officium facienti debitum, eoq; multo amplius capiebatis) *gregem autem meum non pascebatis. Cum austeritate imperabatis eis & cum potentia. Et dispersæ sunt oues meæ, eo quod non esset Pastor* (qui scilicet *pasceret triplicitér, verbo prædicationis, exemplo conuersationis & fructu orationis* ac sacrificij, quibus partibus Episcopi officium S. Bernardus describit) *Et factæ sunt oues meæ in deuorationem omnium bestiarum agri. & dispersæ sunt. Et non erat qui requireret, non erat inquam, qui requireret.* Zach. 11. *Pasce pecora occisionis, quæ qui possederant occidebant & non dolebant, & vendebant ea dicentes. Benedictus Dominus diuites facti sumus: & Pastores eorum non parcebant eis,* sed ea pessimis morum suorum exemplis crudeliter occidebant. S. Ambrosius de dignitate Sacerd. cap. 6. *Nullus illicitum esse videtur, quod ab Episcopo quasi licitum perpetratur: sed ipsum magis homines credunt esse laudabile, quicquid Episcopus habuerit delectabile.* S. Gregorius Magnus in Pastoral. cap. 2. *Cum Pastor per abrupta graditur, consequens est vt Grex ad præcipitium sequatur, & qui labenti innititur, necesse est, vt cum labente pariter labatur. Persuadent enim sibi subditi, id eis in primis licere quod à suis Pastoribus fieri palam conspiciunt, & audentius idem perpetrant* Et part 3. Admonit 5. *Scire prælati debent, quod si peruersa vnquam perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot perditionis exempla ad subditos suos transmittunt.* S. Bernardus ad Guilelmum Comitem: *Si quis de populo deuiat, solus perit: error Prælati multos inuoluit, & tantis obest, quantis præest.* Idem sermone 1 de Conuersione Pauli: *Heu heu Domine Deus, ipsi sunt in persecutione tua primi; qui sunt Vicarij tui qui videntur regere populum tuum: Misera eorum conuersatio plebis tuæ miserabilis subuersio est.* Et Sermone ad Pastores in Synodo: *Fidem habetis, sed ad opera vos inuito. Vos maxime, qui estis Vicarij Christi, qui estis Pastores animarum, qui alios debetis instruere, non destruere. Vos inquam maxime, quia soli non potestis perire, qui præire debetis docendo & operando. Multi sunt Catholici prædicando qui Hæretici sunt operando. Quod Hæretici faciebant per praua dogmata hoc faciunt plures hodie per mala exempla. Seducunt scilicet populum & inducunt in errorem: & tanto grauiores sunt Hæreticis, quanto præualent opera verbis,* quoniam scilicet plus oculis homines credunt, quam auribus suis, adeoq; multo magis factis eorum qui *super candelabro,* siue in excelso dignitatis gradu *positi lucent omnibus qui in domo sunt.* quam verbis aliorum, quibus tantundem auctoritatis pondus non inest, commouentur.

Itaque

Itaque satis intellexit Canisius, nihil ad hominum salutem referre magnopere, quod probatæ vitæ Sacerdotes verba de fidei capitibus ad eos faciant, si Præsules, quorum longe amplior est dignitas, factis suis negent, quod verum esse illi verbis testantur. Primum certè fidei Christianæ caput siue articulum ab ijs negari creditur qui siue honorum, siue voluptatum, seu cuiuscumque rei causa Deum contemnunt, & offensam eius excipere animum inducunt. *Hoc enim quisque profecto Deum facit, quod plus quam Deum diligit*: ait S. Augustinus. Itaque *Auarum* Apostolus vocat *Idololatram* siue *Idolorum seruum* Ephes 5. qui etiam de Ecclesiæ ministris *non ex caritate aut bona voluntate sed per occasionem* lucri & gloriæ, *propterque inuidiam & contentionem* gentes Evangelium docentibus Phil. 1. & 3. pronunciat. *Ventrem eorum Deum esse*, quippe qui propter se ipsos Christo seruiant, reique ordinem immutent, vt Christi honos, qui Finis esse debuerat, pro lucri aut gloriæ adiumento seu Medio ab iis vsurpetur. In quos etiam intorquet sententiam illam Rom. 16. *Huiusmodi Christo Domino nostro non seruiunt, sed suo Ventri, & per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium.* Episcopi ergo palam voluptarii, ambitiosi & auari Deo non seruiunt, nec præcepto illi parant, *Non habebis Deos alienos coram me.* Sunt ergo Pastores stulti cum Idolo suo, Ventre puta, auro aut honore, de quibus Zach 11. *Sume tibi vasa Pastoris stulti. O pastor & idolum, derelinquens gregem?* Ad cuius generis Pastores illa Dei expostulatio dirigitur Malach. 1. & 2. *Filius honorat patrem, & seruus Dominum suum. Si ergo Pater ego sum, vbi est honor meus? Et si Dominus ego sum, vbi est timor meus? dicit Dominus ad vos ô sacerdotes qui despicitis nomen meum, & offertis mihi cæcum, & claudum & languidum ac debile ad immolandum: quale si offerretis Duci vestro, non placeret ei, nec susciperet faciem vestram* (sed contumeliam sibi à vobis factam grauiter ferret) *& recessistis de via, & scandalizastis plurimos in lege: Propter quod & ego dedi vos contemtibiles & humiles omnibus populis, sicut non seruastis vias meas, & accepistis faciem in lege. Si nolueritis ponere super Cor, vt detis gloriam nomini meo, mittam in vos egestatem, & maledicam benedictionibus vestris* id est, ratas non habeo sed affectu frustrabor. Hic docemur, Auaros Sacerdotes & Antistites Dei nomen despicere, quippe cui honorem & timorem velut filij ac serui patri ac Domino suo non exhibeant, & faciem hominis accipiant, siue plus homini honoris habeant, plusque offensam eius caueant, quam Dei, eo quod Deo hostias cæcas, claudas & vitiosas immolare non vereantur, quas Principi alicui propter metum offensæ eius offerre minime auderent. Faciem quoque hominis in eo accipiunt, si filios, nepotes aut consanguineos suos propter Christum non serio reliquerunt & oderunt ac vel improbe viuentes non coërcent vel de bonis Ecclesiæ, quæ pauperum sunt patrimonia, augere ac ditare non dubitant. In quos conuenit illa Dei cum Heli Pontifice expostulatio, 1. Reg. 2. *Magis honorasti filios tuos, quam me, eo quod noueras indigne illos agere, & non corripueris eos.* In eosdem iam intentata est tristis illa Christi sententia: *Si quis venit ad me, & non odit patrẽ & matrẽ, & filios, non est me dignus, & non potest meus esse discipulus*, Matt. 10. & Luc. 14.

Effectum:

Effectum porrò talis contumeliæ Deo factæ discimus esse triplicem. Primum enim plurimi ab eis *scandalizantur in lege*, ac veluti Saxo in via ambulantibus obiecto ad id pedem offendunt & prolabuntur, vt legem partim non rectè intelligant, partim obseruare siue implere prætermittant, hoc est, vt vel in fide errent, vel in vita agenda peccent. Aliis quippe errorem de Deo suis factis obijciunt, vt illi Deum non esse credant, cum ei Sacerdotes, qui se filios & seruos eius profitentes, minus honoris, quam homini, exhibeant: aut certè vt nullam Deo earum humanarum curam esse persuasum habeant, qui scelera Sacerdotum impunita dimittat, quamquam ipsi etiam Sacerdotes animis tam securi satis declarent se pro iudice ac malefactorum vltore non habere. Atque hoc est, quod Malachias eodem cap. 2. sic agitat: *Laborare fecistis*, (siue vt habent 70. Interpp. *Ad iram prouocastis*) *Dominum in sermonibus vestris, eo quod dicitis, Omnis qui facit malum, bonus est in conspectu domini, & tales ei placent: aut certe, Vbi est Deus iudicij ac iustitia?* Alios autem improbitatis suæ exemplo deprauant, vt Sacerdotum imitatione Dei timorem & innocentiam missam faciant, nulloque fræno cupiditatibus suis indulgeant. Hos Malach. 3. sic Deus appellat: *Inualuerunt contra me verba vestra, dicit Dominus. Dixistis enim, Vanus est, qui seruit Domino, & quod emolumentum, quia custodiuimus præcepta eius? Ergo nunc beatos dicimus arrogantes, siquidem ædificati sunt facientes impietatem.* Hoc ergo modo Episcoporum improbitas plurimos in lege scandalizat. Alter contumeliæ eorum effectus est, quod à populis contemnuntur, ita vt eos etiam bona decimarum parte defraudare non dubitent, ac propter illos velut ipsi Deo succensentes dona victimasque parcius in templum eius inferant. Malach. 3. *Vos configitis me gens tota in decimis & primitiis. Inferte omnem decimam* (nulla parte fraudata) *in horreum. & sit cibus in domo mea*, ad alendos scilicet Clericos & egentes: quomodo & Ioël. 1. *Interijt de domo Dei sacrificium & libatio. Coram oculis vestris alimenta perierunt de domo Dei nostri.* Similiter autem & 1. Reg. 2. legimus: *Filij Heli Sacerdotis, erant filij Belial,* siue indomitæ auaritiæ, libidinis & violentiæ, *nescientes dominum, neq; officium Sacerdotum ad populum, & dormiebant cum mulieribus quæ obseruabant ad ostium tabernaculi. Et erat peccatum eorum grande nimis coram Domino, quia detrahebant homines sacrificio Domini*, id est, homines propter Sacerdotum scelera Deo parcius sacrificabant. Tertius contumeliæ Deo ab Episcopis factæ effectus est multiplex populi totius calamitas, cum Deus grauiter ferat sibi propter Sacerdotum peccata honorum à populo minus haberi. Ac propterea Israëlitis hostes Philistæos immisit, qui & Sacerdotes impios, & de populo triginta quatuor millia occiderent, & de ipsa Dei arca in bello capta magnificè triumpharent 1. Reg. 4. De hoc effectu sic commeminit Isai. 24. *Et erit sicut populus, sic sacerdos, quia transgressi sunt leges mutauerunt ius, dissipauerunt fœdus sempiternum. Propter hoc maledictio vocabit terram, & peccabunt habitatores eius, idemque pauperes erunt cultores eius, & relinquentur homines pauci. Luxit vindemia, infirmata est vitis, ingemuerunt omnes qui lætabantur corde.* Et Malach. 3. *In penuria maledicti estis vos gens tota. Inferte omnem*

*decimam*

*decimam in horreum & sit cibus in domo mea, & probate me super hoc, dicit Dominus, si non aperuero vobis cataractas cæli, & effudero vobis benedictionem vsq; ab abundantiam, & increpabo pro vobis deuorantem, & non corrumpet fructum terræ vestræ, nec erit sterilis vinea in agro, & beatos vos dicent omnes Gentes.* Nimirum istis omnibus bonis Deus populum privat, cum homines sacerdotum vitiis offensi suo erga Deum desunt officio, vt planum fiat, eum benedictionibus Sacerdotum maledixisse, nec optatam eis exitum concedere, velut facit quando sacerdotes ipsi, & his populi quod debent tribuunt, Ezech. 44. *Victimam pro peccato Sacerdotes comedent, & omne votum in Israel, ipsorum erit. Et primitiua ciborum vestrorum dabitis sacerdoti, vt reponat benedictionem domui tuæ.*

---

## CAPVT XVI.

Similiter autem & Mich. 3. Ecclesiæ Præsides (vt S. Hieronymus monet) publicarum calamitatum causam peccatis suis præbere sic Deus docet: *Audite hoc Principes domus Iacob, & iudices domus Israel, numquid non vestrum est scire iudicium, & omnia recta peruertitis, qui ædificatis Sion in sanguinibus, & Ierusalem in iniquitate. Propter hoc CAVSA VESTRI Sion quasi ager arabitur, & Hierusalem quasi aceruus lapidum erit* siue in hostium potestatem comedet ac destruetur. Nimirum Sacerdotes officio sequestri ac mediatoris inter Deum & homines peccatores funguntur; ac propterea vtrique partium gratos se acceptosque facere debent. Quod si vltro Deum grauius, quam alij, offendant, fieri non potest, quin ipsis etiam populis, pro quibus deprecantur, multo eum faciant infestiorem. Hoc quidem disertim affirmat S. Gregorius Magnus præfat. in Iob. 3. *In grauibus peccatis quis positus, dum suis premitur, aliena non diluit. Cuncti enim liquido nouimus, quod cum is displicet, qui ad intercedendum mittitur, irati animus procul dubio ad deteriora prouocatur. Scriptum quippe est, Victimæ impiorum abominabiles sunt Deo, vota iustorum placabilia.* Et rursum in Regist. *Causa ruinæ populi sunt sacerdotes mali, quis enim pro populi peccatis intercessor se obijciat, si sacerdos, qui orare debuerat, grauiora committit?* Et lib. 7. epist. 114. ad Reges Francorum. *Vulnerato Pastore quis curandis ouibus adhibeat medicinam? aut quomodo populum orationis clypeo tueatur, qui iaculis se hostilibus feriendum exponit? Maior ergo metuenda est locis illis fore calamitas, vbi tales intercessores ad locum regiminis adducantur, qui Dei magis in se iracundiam prouocant quam per semetipsos populis placare debuerunt.*

Sic apparet, quam iustæ Canisio causæ fuerint, vt de corrigendis Cleri moribus tanta contentione laboraret. Collapsa enim morum disciplina, velut *Maceria vineæ destructa* & iacente, intelligebat *transitum fore bestiis, vt exterminaret eam aper de silua, & singularis ferus depasceretur, & Vulpes demolirentur eam* (Psal. 79. Cant. 2. vtique *vindemiarent eam omnes, qui prætergrediuntur viam*, id est, vt Hæreticis occasio pestifera dogmata sua populis persuadendi animasque per-

dendi præcludi non posset: fore etiam vt Catholici partim exemplo Clericorum deprauati & atheiam atque Epicurismum eorum imitantes, partim vero propter improbitatem eorum suum erga Deum officium deserentes, causam Deo præberent, vt ingentibus calamitatibus in remp. immissis iniuriam suam vlcisceretur. Vnicum vero omnium istorum malorum remedium, frequentes Synodos seu Cleri conventus esse recte iudicabat. *In multitudine* enim *Sapientum est sanitas orbis terrarum*, Sapient. 6. *Sapientia enim habitat in consilio*, Prov. 8. *Et per hanc sanati sunt quicumque Deo placuerunt à principio*, Sapient 9. Itaq; nulla alia corruptelæ morum publicæ inter Christianos causa est, quam raritas Conciliorum: quod quidem ipsi Spiritui Sancto credere nos fas est, per sanctos Patres in Concilio Toletano quarto congregatos ita loquenti: *Nulla pene res disciplina mores ab Ecclesia magis depulit, quam Sacerdotum negligentia, qui contemptis Canonibus ad corrigendos Ecclesiasticos mores Synodum facere negligunt.* Atque hoc ipsum luculentius Concilij Toletani vndecimi Patres sic exsequuntur: *Eramus hucusq; pro labentis saculi consuetudine instabiles; quia annosa series temporum, subtracta luce Conciliorum, non tam vitia auxerat, quam matrem omnium errorum ignorantia à otiosis mentibus ingerebat. Cernebamus enim quomodo Babylonica Confusionis olla succensa nunc tempora Conciliorum averteret, nunc sacerdos Domini dissolutis moribus irretiret. Purpurata enim meretricis sequebantur inuitamenta, quia Ecclesiastici conuentus non aderit disciplina. Quia non aderat adunandorum Pontificum vlla perceptio* (id est, quia nullus Rex vel Metropolitanus Episcopos cõvenire præcipiebat) *crescebat in maius vita deterior: cum tandem diuina nos clementia ex alto respiciens, & temporis atatis nostra succursurum prabuit & saluti, praparans nostris seculis religiosi Principis mentem, deuotam pariter & instructam* (id est, Regi inspirans, vt Concilium cogeret) *Casus feruida solicitudinis voto & lux Conciliorum reuocata resplenduit, & alterna caritas se mutuo in corrigendis vel instruendis moribus excitauit, dum & aggreganti nobis hortatu religiosi Principis facultas est data, & opportuna corrigentis praparata est disciplina: vt qui decursis longe ante temporibus, post decem & octo scilicet labentium annorum excursum in vnum meruimus aggregari conuentum, mederi possemus spirituali gratia sanitatum.*

Hanc ipsam sententiam illis Germaniæ Episcopis magnopere probari gaudeo, qui nunc exsules & Sedibus suis extorres tarde quidem, nec tamen, opinor, sero sapiunt. Vt enim ex Episcopo quodam auditum est, fatentur illi, Cleri Germanici Epicurismum vitamque lutulento porco, quam homine, maxime sacris addicto digniorem, veram demum causam esse, cur is Catholicorum in Germania nunc status sit, vt haud multum ab eo abludat illa Prophetæ threnodia: *Princeps prouinciarum facta est sub tributo. Facti sunt hostes eius in capite: inimici eius locupletati sunt. Facti sunt Principes eius velut arietes non inuenientes pascua, & abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis. Manum misit hostis ad omnia desiderabilia eius. Vidit Gentes ingressas sanctuarium suum. Omnis populus eius gemens & quærens panem. Abstulit Deus omnes Magnificos de medio eius. Polluit regnum &*

*gnum & Principes eius. Hereditas nostra versa est ad alienos, domus nostra ad extraneos. Serui dominati sunt nostri, non fuit qui redimeret de manu eorum. Non crediderunt Reges terræ & vniuersi habitatores orbis, quoniam ingrederetur hostis per portas Ierusalem. Velociores fuerunt persecutores nostri Aquilis. Factus est Dominus velut inimicus Tradidit in opprobrium & in indignationem furoris sui Regem & Sacerdotem* Cum autem ista sic ingenue Episcopi illi confitentur, simul agnoscant censeo, non minus huic quoque næniæ locum esse. *Magna est velut mare contritio* seu calamitas *tua quis medebitur tui filia Sion? Prophetæ tui viderunt tibi falsa & stulta: nec aperiebant iniquitatem tuam, vt te ad pœnitentiam prouocarent. Viderunt autem tibi assumtiones falsas & eiectiones.* Tamquam dictum sit: Non idem quod Canisius hodierni fecerunt Iesuitæ, Principum & Episcoporum Confessarij conscientiæque moderatores, vt scilicet ad Synodos cogendas, & ad Clericorum Ordinem *tam in Capite, quam in membris corrigendum*, & ad pœnas diuinas eo pacto auertendas eos incitarent. Omnia secunda ac prospera eis prædixerunt: Catholicos à Deo assumi semper & prosperari, nec vmqnam bello vinci: Protestantes vero omnes & Confessionem Augustanam simul cum anno 1630. exitum habituros, & Sanctioni de Pace Religionis finem præsto esse. Cur autem de suscipienda Cleri emendatione nusquam vocem mittere audiantur, tamque Canisio sint dissimiles, eius rei causa est, quod non idem vtrisque sit propositum: Ille enim velut priscæ notæ Iesuita nihil aliud spectabat, quam Dei gloriam, & suam aliorumque hominum salutem. Istis autem nihil aliud cordi est, quam bonum cuiusque proprium, eiusque causa amplissimum præpositi sui Generalis imperium. Eius autem rei conficiendæ multo facilior est ratio, si Clerici & Monachorum emendatio seu reformatio prætermittatur. Quo enim illi vitiosiores apparent, tanto minus Iesuitæ peccata sua fore conspicua intelligunt. Ita illis expedit, alios non esse bonos, sicut etiam aliena virtus quasi vitij sui exprobratio eis videtur. Præcipue tamen morum in Monasteriis dissolutio disciplinæque relaxatio quæstui eorum & compendio conducit, quo exemplo Plautinus Leno de se ipso prædicat:

*Boni viri me pauperant, improbi alunt.*
*Augent rem meam mali: populi strenui*
*Damno mihi, sed improbi sunt vsui.*

Minore certe negotio Principibus Iesuitæ sic persuadent, vt ademta Monachis cœnobia ad ipsos velut multis partibus Ecclesiæ vtiliores & reip. necessarios transferantur. Minime ergo iam mirari conuenit, cur Iesuitæ tanto cum impetu proximis annis conati fuerint Principem & Abbatem Fuldensem *Iohannem Bernardum*, singulare ætatis nostræ ornamentum, à cucullo tonsuque Monastico deterrere. Causabatur ille, quod cum illi, quo à Confessionibus vtebatur, tum cæteris eius sodalibus Iesuitis probaturum se

confidebat, se voto obstrictum teneri & Sacramento, nec sine periurij reatu facere posse, quin S. Benedicti legibus etiam in capiendo Ordinis eius habitu pareret: nec minus se fidem suam Pontifici & Cæsari obligasse, facturum se, quod illi non vnis à se literis contendissent, vt Religiosam disciplinam in Monasterio suo totius Germaniæ Galliæque principe iam olim collapsam, vel potius peremptam, non magis imperio, quam vitæ suæ exemplo instauraret, cæterisque Sacri Romani Imperij Abbatibus idem ipsum faciendi stimulos, admoueret. Iam ergo cum salutem suam, tum existimationem & honorem in eo verti, vt sibi aliter facere non sit integrum. Sed Iesuitis nulla fuit religio nouem argumentis ei persuasum ire, vt Sacramenti votique oblitus aliquot priorum non optimæ sanè notæ eiusdem Monasterij Abbatum similiorem inueniri, quam in habitu, quo filios suos Diuus Benedictus induisset, conspici se præoptaret. Præcipue vero pastoritiæ fistulæ obuiæque sannæ metu eius in sancto proposito constantiam labefacere & infirmare annisi sunt, cum futurum ei denunciarent, vt velut homo amens ac delirus ludibrio esset omnibus cum absurdo illo suo ornatu, quo nemo sanus, nisi ludis Liberalibus aut Bacchanalibus, vel Saturnalitiis, quibus insaniæ ius datur publice, amiciri animum sit inducturus. Ita propudiosissimo isti Pharisæorum generi apud religiosissimum Principem S. Benedicti habitum ludum iocumque facere libuit, nec verecundiæ eis fuit, tot summos Pontifices, Imperatores Augustos, Reges maximos, Principes potentissimos, & quinquaginta quinque Diuorum ab Ecclesia consecratorum seu Canonizatorum millia delirij ac fatuitatis nota pariter afficere, quos omnes sub S. Benedicti signis Deo militasse, & tonsum cucullumque, Monasticum sibi honori duxisse constat. Verum Iesuitæ cum suauius, tum amplius longe sibique gloriosius ducunt Pygiacam sortitos prouinciam puerorum & epheborum natibus iura reddere, si præsertim eos ad citharæ vel *Violini*, aut *Geigæ*, sonitum vapulantes & eiulantes audiant: quod Acroamatis genus quendam Patrem Wolfgangum Lanium seu Mezgherum Monachii non ita pridem excogitasse accepi. Sed ad Fuldenses Iesuitas redeo, qui cum Abbatem sibi constare, nec vllis suasoriis à reformationis in se ipso auspicandæ consilio abduci posse perspicerent, tam id grauiter & iniquo animo tulerunt, vt Pater Osvvaldus, Abbatis Confessarius, amicitiam ei renunciaret, ab eoque auersus & valuis forium magno cum impetu post se conclusis furibundus se proriperet. Ex quo tam illustri exemplo nemini paulum modo intelligenti obscurum esse potest, quam toto pectore Iesuitæ Monachorum in priscos mores reformationem abominentur, & modis omnibus circumscriptã impeditamq; exoptent: sed illi nempe, qui de Vitelliana sunt hæresi, vnumq; rebus relictis satagunt, vt Mutio Vitellio, patriarchæ suo amplum, opulentum, lateq; patens imperium, & Societati nouas colonias passim conficiunt, nam cæteros, Iesuitas, quorum studia ac mores ad S. Ignatij formulam bona fide componuntur, ne ipsos quidem id genus consilia ac facta Sociorum probare exploratũ habeo.

CAP.

# CAPVT XVII.

*Pag. 272.*

EX Canisij literis res postulat caput adscribi, quo Cardinalem Augustanum ad reuisendam suam Ecclesiam (nam Romæ degebat) hortatur: vt appareat personarum insignium amicitias, quam non in suam & ipsorum perniciem per corruptrices assentationes, sed tantum in commune bonum, libertate Christiana foueret, atque adeo quo merito eidem Cardinali verè sapienti ac pio tam carus ac venerandus esset. *Quod* (inquit) *ad Augustanam Ecclesiam attinet, multi mecum exoptant reditum tuæ Celsitudinis, & grauissimas quidam ob causas. Peius cum hac agitur Ecclesia, quam istic vel credatur, vel intelligatur. Et interim tot tantisq; sarcinis grauat suam conscientiam Episcopus vt mirer sane, quomodo quietum somnum capere posit, præsertim vbi tot animarum millia pereunt, & ob Pastoris absentiam oues, simulq; pastores inferiores periclitantur. Ignoscatur quaso mihi libere dicenti quod sentio, quoniam amo Cardinalem Othonem, cui præ omnibus debeo. Mallem sane illum absq; hoc Episcopatu viuere, quam solo Episcopatus titulo gaudere, & oues tam negligenter pascere, quarum lana victitat. Alij spectant emolumenta temporalia, & amplos quærant honores: ego futurum cito iudicium, & reddendam accepta villicationis rationem, & pœnas malo dispensatori paratas considero, simulq; timeo vehementer.* Hæc fidelis monitor adeo grauiter ac seuere, quia vbi res agitur animarum vel leuissima negligentiæ species valde sapientibus formidatur.

*Animaduersio.*

Canisius ergo Principum & Magnatum amicitias nequaquam per assentationes, sed per libertatis Christianæ vsum fouit, ita vt *viri Sapientis & Fidelis monitoris* officio strenuo fungeretur. Sapientis autem oratio pungit & vulnerat ac dolorem facit. Eccle. 12. *Verba Sapientum sicut stimuli.* Vbi S. Hieronymus, *Notandum est*, inquit, *quod Verba sapientum dicantur pungere, non palpare, nec molli manu attrahere lasciuiam, sed errantibus & tardis pœnitentia dolores & vulnus infligere. Si cuius igitur sermo non pungit, sed oblectationem facit audientibus iste sermo non est Sapientis.* Verum dolor, quem Sapiens facit, salutaris est, vt Proverb. 13. scriptum est: *Lingua sapientum sanitas.* Fides monitoris in eo spectatur, si iustus sit debitumque reddat, sicut Paulus Rom. 13. præcipit. *Reddite omnibus debita.* Debet autem quisque proximo, quo ille eget, quodque ipse sine noxa sua aut suorum, quibus est deuinctior, communicare potest, siue illud corporale, siue spirituale sit beneficium. *Mandauit* enim *Deus vnicuiq; de proximo suo*, Eccli. 17. Itaq; quæcumque Misericordiæ erga proximum opera sunt, eadem velut ex lege caritatis debita Iustitiæ quoq; assignantur. Id nos S. Gregorius Pastoral. part. 3. admonit. 22. totidem verbis docet: *Cum qualibet necessaria indigentibus ministramus, sua illis reddimus, non nostra largimur: Iustitia debitum potius soluimus*

 quam

*quam Misericordia opus implemus. Vnde ipsa veritas cum de Misericordia cautè exhibenda loqueretur, ait* : Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus. *Cui sententia etiam Psalmista concinens dicit* , dispersit, dedit pauperibus , iustitia eius manet in æternum. *Cum enim largitatem impensam pauperibus promisisset, non hanc vocare Misericordiam sed Iustitiam maluit* : *quia quod à communi Domino tribuitur, iustum profectò est, vt qui accipiunt eo communiter vtantur. Hinc etiam Salomon ait*: Qui iustus est, tribuet, & non cessabit *Hæc Gregorius*. Sed & propter Eruditionem siue Castigationem proximi peccantis , seu fraternam correptionem, simul Misericordiæ siue Amoris, & Iustitiæ opus esse, perspicue docemur. Apoc.3. *Ego quos amo, arguo & castigo*. Eccli.18. *Qui misericordiam habet , docet & erudit quasi Pastor gregem suum*. Cui consequens est, vt qui proximum doctrina & eruditione indigentem, docere & erudire negligit, cum tamen possit, is Misericordiam & caritatem non habeat. Psalm.140. *Percutiet me iustus in misericordia & increpabit me*. Iniustus ergo simul & Immisericors, est qui proximum verbis Sapientiæ, stimuli vice pungentibus, percutere & increpare prætermittit. Atque hoc est peccatum illud, de quo Leuit.19. ita fit mentio : *Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publice* ( siue aperte ) *argue eum, ne habeas super illo peccatum*. Iniustitiæ scilicet, per quam nec Deo, nec Dei filio, siue fratri, aut proximo debitum redditur. Nam etiam Deo facit iniuriam , qui filium eius verbis sanare, cum possit, negligit. Quicumque enim de familia Dei sumus , & in domesticis eius censemur, Zelo domus eius comedi, omniumque rerum causa, quas Deo tamquam patrifamilias perire cernimus, aut stomachum mouere posse intelligimus, cruciari animisque angi atque ad id seruandum aut corrigendum anniti debemus, vt non minus in nobis locum habeat, quam in Christo , quod Ioh.2. de illo prædicatur : *Zelus domus tuæ comedit me*. Quæ verba explanans S. Augustinus Tract.10. in Iohan. docet , *eum Zelo domus Dei comedi, qui omnia quæ ibi videt perversa, satagit emendare, & cupit corrigere* , quod quidem omnium Christianorum officium esse, sic ibidem exsequitur : *Vnumquemque Christianum Zelus domus Dei comedat, in qua domo membrum est. Si autem fueris frigidus, marcidus , ad te solum spectans , & dicens. Quid mihi est curare aliena peccata ? Sufficit mihi anima mea. Eia non venit tibi in mentem seruus ille Matth. 25. qui abscondit talentum ? Numquid accusatus est, quia perdidit , non quia sine lucro seruauit ? Nolite fratres quiescere lucrari Christo , qui estis lucrati à Christo*. Cum autem quiuis Christi domesticus Zeli domus Dei comedi , & animæ suæ salute non contentus etiam de alienis peccatis corrigendis & proximorum animabus per fraternam corruptionem lucrandis satagere debeat , idque officium sine peccato iniustitiæ in Deum & proximum prætermittere non possit, tum multo magis hoc eorum est officium , qui à Deo rei ex sententia ipsius conficiendæ instrmenta seu Media acceperunt , eamque in rem suam Deo , ac proximis fidem obligarunt , Sacerdotum puta , qui animarum

Verbo

Verbo & Sacramentis regendarum prouinciam ceperunt. Hi sunt Angeli, seu Legati Dei cum pacto pacis & vitæ ad homines peccatores missi, in quorum ore Deus Spiritum suum & reconciliationis verbum posuit, vt sine vllo timore omne Dei consilium hominibus annuncient, nihil prorsus rerum ad saluas faciendas animas vtilium subtrahentes. Malach. 1. *Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est. Pactum meum fuit cum eo vitæ & pacis. Lex veritatis fuit in ore eius, & multos avertit ab iniquitate.* Isai. 59. *Spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo, neque ab ore seminis tui, neque ab ore seminis seminis tui amodo & vsque in sempiternum.* 2. Corint. 5. *Deus dedit nobis ministerium reconciliationis & posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergo Legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos.* 2. Timot. 1. *Bonum depositum custodi per Spiritum Sanctum, qui habitat in nobis. Resuscita gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum presbyterij. Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis* seu fortitudinis, *& dilectionis* & σωφρονισμοῦ seu *castigationis*, vt scilicet fortiter ac sine vllo timore peccatores castigemus. Act. 20. *Vos scitis quomodo vobiscum per tempus fuerim seruiens Deo, & quomodo nihil subtraxerim vtilium, quo minus annunciarem vobis, & docerem vos publice & per domos* seu priuatim, *testificans omnibus pœnitentiam & fidem in Christum. Contestor vos hodierna die, quia mundus sum à sanguine omnium. Non enim subterfugi, quominus annunciarem vobis omne Dei Consilium. Per triennium nocte & die non cessaui, cum lacrymis monens vnumquemque vestrum,* sicut Isai. 33. scriptum est: *Angeli pacis amare flebunt.* Et Psal. 125. *Qui seminant in lacrimis, in exultatione metent. Flebant mittentes semina sua.* Minime ergo mundus est Prædicator aut Confessarius ab hominum sanguine, sed est *vir sanguinum & dolosus*, Si quicquam ad salutem vtilium subtrahat, ac timore aliquo subterfugiat quominus omne Dei consilium seu voluntatem hominibus annunciet, 2. Tim. 4. *Prædica verbum, vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistæ, ministerium tuum imple, insta opportune, argue, obsecra, increpa.* Et sic quidem Prædicatores & confessarij qua sunt Angeli seu Legati Dei suo officio perfunguntur.

---

## CAPVT XVIII.

IAm ijdem sunt Excubitores, quorum munus est nocturnas diurnasque agitare vigilias, vt comperto hostem aduentare quam contentissimo buccinæ seu tubæ cantu ciues è somno excitent, aut alia agentes arma capere horrentur, id est, animaduerso animæ periculo ob aliquod peccatum, peccatori ostendant, ei damnationis adesse periculum, nisi pœnitentiæ arma expediat, ijsque hostem profliget, sine animæ salutem in tuto collocet. Hebr. 13, *Obedite Præpositis vestris & subiacete eis. Ipsi enim peruigilant tamquam*

*rationem*

*rationem reddituri pro animabus vestris* Ezech.33. *Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel. Si speculator viderit gladium venientem, & non insonuerit buccina, vt populus se non custodierit, veneritq; gladius, & tulerit de eis animam: ille quidem in iniquitate sua captus est, sanguinem autem eius de manu speculatoris requiram*, Ierem.6. *Constitui super vos speculatores. Audite vocem tubæ.* Isai.27. *In die illa clangetur in tuba magna*, Isai.58. *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam & annuntia populo meo scelera eorum.* Isai 40. *Exalta in fortitudine vocem tuam, qui Euangelizas Sion: exalta, noli timere.* Ose.8. *In gutture tuo sit tuba, pro eo quod transgressi sunt fœdus meum, & legem meam præuaricati sunt.* Sunt ijdem quoque Duces militiæ Christi, cum sua, tum aliorum peccata oppugnantes, & gladio Spiritus fidei vitæque impietatem interficientes & omnem altitudinem Regum ac Principum destruentes, ipsosque alligantes & in Christi captiuitatem redigentes. 1. Timot.1. *Hoc præceptum commendo tibi, vt milites bonam militiam, habens fidem & bonam conscientiam.* 2. Timot.2. *Labora sicut bonus miles Christi.* Zach.12. *In die illa ponam Duces Iuda sicut caminum ignis in lignis & sicut fascem ignis in fœno, & deuorabunt ad dextram & ad sinistram omnes populos in circuitu*, id est, occident vt peccato mortui Christo viuant, quomodo Petro, vt Gentibus prædicaret, dictum fuit, Act.10. *Occide & manduca*, Et de populorum conuersione Ecclesiæ, Mich.4. *Comminues populos multos & interficies Domino rapinas eorum* (id est, animas quas Diabolo eripies) *& fortitudinem eorum Domino vniuersæ terræ* 2.Cor.10. *In carne ambulantes non secundum carnem militamus. Nam arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi; & in promtu habentes vlcisci omnem inobedientiam.* Psalm. 149. *Exaltationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis: ad alligandos Reges eorum in compedibus, & Nobiles eorum in manicis ferreis, vt faciant in eis iudicium conscriptum*, siue vt in captiuitatem Christi eos redigant; & inobedientiam eorum vlciscantur, pœnitentiæ & satisfactionis opera ab eis exigentes. Ephes.6. *Induite armaturam Dei vt possitis resistere in die malo & in omnibus perfecti stare, calceati pedes in præparationem Euangelij* (tamquam illi de quibus prædictum est, Isai.52. *Quam pulchri pedes annunciantis bonum, & prædicantis salutem ac pacem?*) *non est enim nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem* (non gerimus bellum cum corporibus hominum) *sed aduersus principes & potestates contra spiritualia nequitiæ in cælestibus.* Horum Ducum officium est stare ex aduerso, nec cedere Principum potentiæ, quemadmodum duces desertores, perfidi & exercitus sui proditores, siue pseudoprophetæ faciunt, ad quos Dei verbum est, Ezech.13. *Væ prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum* (spiritum scilicet *Timoris*, *non spiritum virtutis, dilectionis & castigationis*, quem Deus ipsis dederat *per impositionem manuum*, sed eam *gratiam* ipsi *neglexerunt, nec resuscitarunt*, 2.Timoth.1.) *& nihil vident*, (cupiditatibus suis & muneribus seu vitæ commoditatibus occæcati quas amittere metuunt, si peccantes libere in-

libere increpent, quia *Munera excæcant oculos* etiam *Sapientum & subvertunt verba iustorum*, Exod.23.) *Quasi vulpes in desertis prophetæ tui Israel erant* (quia *faciebant opus suum fraudulenter prohibentes gladium suum à sanguine*, Ierem.48.) *Non adscendistis ex aduerso, neq; opposuistis murum pro domo Israel, vt staretis in prælio in die Domini*. Quem locum interpretans S. Gregorius Pastoral. part.2. cap.4. scribit: *Sæpe Rectores improuidi humanam amittere gratiam formidantes recta libere loqui pertimescunt, & iuxta veritatis vocem nequaquam iam gregis Pastorum studio, sed Mercenariorum vice deseruiunt. Veniente lupo fugiunt dum se sub silentio abscondant. Hinc namq; eos per prophetam Dominus increpat dicens*, Canes muti, non valentes latrare. *Hinc rursum quæritur dicens* Non adscendistis ex aduerso, nec opposuistis murum pro domo Israel vt staretis in prælio in die Domini. *Ex adverso quippe adscendere est pro defensione gregis voce libera huius mundi potestatibus* seu Principibus *contraire. Pastori enim recta dicere timuisse, quid est aliud quam tacendo terga præbuisse? qui nimirum si pro grege se obijcit, murum pro domo Israel hostibus opponit*. Et part.3. Admonit. 26. *Si medicinalis artis minime ignari secandum vulnus cernerent, & tamen secare recusarent profecto peccatum fraternæ mortis ex solo torpore committerent. Quanta ergo culpa inuoluantur adspiciunt, qui dum cognoscunt vulnera, mentium curare negligunt ea sectione verborum? Vnde & bene per Prophetam dicitur, Maledictus qui prohibet gladium suum à sanguine. Gladium quippe à sanguine prohibere, est prædicationis verbum à carnalis vitæ interfectione retinere. De quo rursum Gladio dicitur, Et gladius meus manducabit carnes.*

## CAPVT XIX.

PRæterea vero ijdem sunt Oeconomi Dispensatores domus Dei ad hoc constituti, vt seruis Dei frumentum seu triticum verbi diuini admetiantur sine vlla frumenti suppressione, & absque palearum mixtura. Frumentum vero supprimit, qui ad salutem necessaria dicere ac facere prætermittit. Triticum est doctrina à Deo reuelata, Paleæ vero sunt hominum somnia seu commenta, siue doctrina quam non Dei Spiritus reuelauit, sed aliqua siue lucri, siue inanis gloriosæ cupiditas inuenit. Luc.12. *Quis putat est fidelis dispensator & prudens, quem constituet Dominus supra familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram?* 1. Corinr. 4. *Sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*. 1.Cor.9. *Væ mihi nisi Evangelizauero. Dispensatio enim mihi credita est* Prov.11. *Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis. Frumenta abscondere, est prædicationis sancta apud se verba retinere. In populis autem talis quisq; maledicitur, qui in solius silentij culpa pro multorum, quos corrigere potuit, pœna damnatur.* ait S. Gregorius Pastor. part.3. Admonit.26. Qui vero contentiosorum hominum somnia argutasque nugas pro Dei verbo hominibus obtrudit, aut certe verbo illi admiscet, quam nihil hominibus opera sua prosit, multis verbis Deus declarat Ierem. 23. *Propheta &*

*pheta & sacerdos polluti sunt, & in domo mea inueni malum eorum. Via eorum quasi lubricum in tenebris*, vt qui eos duces sequitur, euadere non possit quin prolabatur. *Visionem cordis sui loquuntur, non de ore Domini. Vaticinantur mendacium, & prophetant seductiones cordis sui: qui volunt vt obliuiscatur populus meus nominis mei propter somnia eorum, quæ narrat vnusquisque ad proximum suum. Propheta qui habet somnium, narret somnium*, (nec suas lutulentas & contortas conclusiunculas, pro fidei capitibus venditet) *& qui habet sermonem meum, loquatur sermonem meum verè* (sine vlla somniorum admixtione) *quid paleæ ad triticum, dicit Dominus? Numquid non verba mea sunt quasi ignis, & quasi malleus conterens petram? Propterea ecce ego ad prophetas, qui furantur verba mea vnusquisque à proximo suo, qui nihil profuerunt populo huic*. Quia scilicet pane mendacij, non tritico sermonis Dei, populum pauerunt: quem qui comedit, non plus alitur, quam qui comedere se somniat. Isai. 29. *Sicut somniat esuriens & comedit, cum autem fuerit expergefactus, vacua est anima eius: sic erit populus qui ore appropinquat mihi, & in labijs suis glorificat me, cor autem eius longe est à me*, (simulat se velle legem mea audire, & ex ea discere ad salutem suam necessaria, cum tamen *Videntes* seu Verbum Dei intelligentes aspernetur, & *Adspicientes*, hoc est, eos qui scripturam quidem legunt, non tamen intelligunt, cum careant reuelatione interna contemplationis, Videntibus præferat, & ab illis grata sibique placentia audire velit.) *Timuerunt me mandato hominum & doctrinis* (id est, interprete Christo Marc. 7. *Relinquentes mandatum Dei tenent traditiones hominum*) *Ideo addam vt admirationem faciam populo huic miraculo grandi & stupendo. Peribit enim Sapientia à sapientibus eius & intellectus prudentium eius abscondetur. Miscebit vobis Dominus Spiritum soporis: claudet oculos vestros: Prophetas & principes vestros qui vident visiones operiet.* id est, ipsi Doctores vestri sic excæcabuntur, vt cum visiones siue scripturas, propheticas videant, eas tamen non plus intelligant, quam si prorsus illiterati essent. *Et erit vobis visio omnium sicut verba libri signati: quem cum dederint scienti literas, dicent. Lege istum: & respondebit. Non possum: Signatum est enim. Et dabitur liber nescienti literas, diceturque ei Lege: & respondebit, Nescio literas.* Causa, cur Deus populum hac pœna, id est, tam grandi & miraculoso stupore afficiat. Isai. 30 sic redditur: *Populus ad iracundiam prouocans est, & filij mendaces, filij nolentes audire legem Dei* (ex ore *Sacerdotis* Videntis seu Contemplatiui, *ex cuius ore lex requiri* debet, Malach. 2.) *Qui dicunt Videntibus Nolite videre. Et Adspicientibus dicunt, Nolite adspicere nobis ea quæ recta sunt: videte nobis errores: loquimini nobis placentia: auferte à me viam* (mandatorum Dei) *declinate à me semitam, cesset à facie nostra sanctus Israel* (siue vt est in Chaldæo: *cesset verbum sancti Israel*, id est, ne mihi molesti sitis scripturæ verbis in medium allatis) *Reprobastis verbum hoc, & sperastis in calumnia & in tumultu, & innixi estis super eo*: id est, spem salutis posuistis non in Verbo Dei, quod auersamini audire ex hominibus Contemplatiuis, sed in falsa eius interpretatione, quæ est *Calumnia*, & in contentiosorum Theologorum somniis, quæ nihil aliud sunt quam *Tumultus*. De quibus iam ante hos trecentos annos Cardinalis Io-

hannis Vi-

hannis Vitalis, Franciscanæ familiæ Theologus, in *Speculo* suo *Morali* sic scriptum reliquit. *Notitiam veritatis impediunt affectiones & contentiones, dicente Psalmista, Effusa est contentio super Principes, & errare fecit eos in inuio & inuia. Effunditur Contentio super Principes, quia Magistri* ( siue Eristicæ & altercatricis Theologiæ Doctores) *in opinionibus & sententijs sunt discordes. Errant in via, quia offendunt in veritate manifesta. Errant in inuio, quia discordias & dissensiones suscitant, & tunc vtrum mala sint, quæ homines faciunt, vel nesciunt, vel forte dubitant, quia sicut granum latet inter paleas, sic in clamoribus & Contentionibus latet Veritas.* Vt enim Iacob 3. docemur, *Vbi Zelus est & contentio, ibi inconstantia & omne opus prauum.* Sicut vicissim vbi Mansuetudo est ac patientia, ibidem habilitas siue aptitudo ad verum audiendum & cognoscendum. Psalm. 24. *Dirigit mansuetos in iudicio.* Eccli. 5. *Esto mansuetus ad audiendum verbum, vt intelligas.* 2. Timot. 2. *Noli contendere verbis ad nihil enim vtile est, nisi ad subversionem audientium. Stultas & sine disciplina quæstiones* (hominum *languentium circa quæstiones & pugnas verborum, & oppositiones falsi nominis scientiæ,* seu Dialecticæ, 1. Timot. 6.) *deuita: sciens quia generant lites. Seruum autem Domini non oportet litigare.* (nec Eristicum seu contentiosum esse) *sed mansuetum esse ad omnes didacticum seu docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos qui resistunt si quando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem*, velut sperare licet ex mansuetudine & patientia serui Dei. Didactica nempe Theologia circa sacras literas, sacra Concilia & SS. Patrum doctrinam occupatur, eiusque Finis est & doctores & auditores purgare, illuminare & perficere, siue mentem informare & voluntatem Dei ac proximi amore accendere. Hæc Theologia facit, *vt homo Dei sit perfectus & ad omnes opus bonum instructus,* 2. Timot. 3. quod contra Theologia Eristica siue Altercatrix *quæstiones magis præstans quam ædificationem Dei in fide.* (1. Tim 1.) nec aliud quærens quam ingenij plausum, ne quis scilicet acumine & doctrina inferior aliis videatur, hæc ergo hominem se possidentem instruit *ad omne opus prauum, nec est Sapientia tius desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica,* Iacob. 3. Ita planum fit, eos super Tumultu inniti, qui reprobant Verbum Dei, quod in sacris literis, & in Sanctorum Patrum ac Theologorum Didacticorum libris continetur, & pro eo malunt audire, quod Theologi Eristici pro suis & magistrorum suorum somniis maximis clamoribus litigantes & tumultuantes commenti sunt. Tales frustra siue *in vanum colunt Deum doctrinis & præceptis hominum*, suntque *Hypocritæ & filij mendaces*, *nolentes audire legem Dei*, & Confessarios ac Prædicatores eligunt, qui loquantur grata ipsisque placentia. Pro certo igitur habere possunt, euenturum sibi quod hic Deus comminatur, vt oculi eorum operiantur, nec veritatem aut salutis viam inveniant: quodque Isaiæ 59. eis prædicit, qui cibum comedunt ab istius notæ dolosis Dispensatoribus antepositum: *Non est qui inuocat iustitiam, neque est qui iudicet verè* (nimirum secundum sermonem Dei, non secundum somnia hominum) 

*ſed confidunt in nihili, & loquuntur vanitatem. Conceperunt laborem, & pepererunt iniquitatem* (argutiæ, quas magno labore excogitarunt, nihil ſunt niſi fallaciæ) *Oua aſpidum ruperunt*, ſiue excluſerunt, *& telas araneæ texuerunt. Qui comederit de ouis eorum morietur, & quod confotum eſt* (nempe oua) *erumpet in regulum* ſeu baſiliſcum, animaſque occidet. *Telæ eorum* (ſomnia, quæ velut araneus, ex viſceribus ſuis texuerunt) *non erunt in veſtimentum* (ſiue in opus bonum, quo quis indutus coram Deo apparere poſſit) *neq; operientur operibus ſuis* (id eſt, nec ipſi ex ſuis opinionibus meliores reddentur.) *Opera* ſeu dogmata *eorum opera inutilia* (quibus nec ſe ipſos ſaluos faciunt, nec eos, qui illos audiunt) *& opus iniquitatis in manibus eorum* (vt non modo nihil proſint, ſed etiam noceant, velut operantes iniquitatem ſeu doctrinam noxiam) *Pedes eorum ad malum currunt* (ſiue ad malum finem actiones & doctrinam ſuam dirigunt, quomodo Ierem. 22. *Tui oculi & cor ad auaritiam, & ad ſanguinem innocentem fundendum, & ad calumniam, & ad curſum mali operis*) *& feſtinant vt effundant ſanguinem innocentem* (quod etiam faciunt *panem egentium defraudantes* Eccli. 34.) *Cogitationes eorum, cogitationes inutiles. Vaſtitas & contritio in viis eorum. Viam pacis* (cum Deo, ſiue rationes agendæ pœnitentiæ & recuperandæ Dei gratiæ) *neſcierunt, & non eſt iudicium in greſſibus eorum. Semitæ eorum incuruatæ ſunt eis* (non recto pede ad veritatem incedunt, ſed declinant in obliquationes, Pſal. 124. Galat. 2) *omnis qui calcat in eis, ignorat pacem*, id eſt, quicumque tales Doctores ſequitur, numquam pacem & veniam ſeu peccatorum remiſſionem à Deo conſequetur.

---

## CAPVT XX.

ATque hinc diſcere poſſunt Principes, quantum ad ſalutem ipſorum referat, eos cauere ab ouis aſpidum, quæ Prædicatores & Confeſſarij Eriſtica potius, quam Didactica Theologia inſtructi eis comedenda anteponunt, curare autem, vt ab ijs paſcantur Diſpenſatoribus, qui Triticum ſine palearum mixtura præbent, nec aut frumenta abſcondunt, aut ſomnia humana viſionesque cordis ſui Verbo Dei admiſcent. Exemplo eis ſit David, qui quantopere ab ijs metuerit & cauerit, qui venenum aſpidum ſub labiis habebant & ſermonibus callide excogitatis animæ eius inſidiabantur, paſſim nobis declarat. Vt Pſal. 54. *Contriſtatus ſum in exercitatione* ſeu meditatione *mea à voce inimici, & à tribulatione* ſiue infeſtatione *peccatoris. Quoniam declinauerunt in me iniquitatem* (id eſt, iniqua & aſſentatoria doctrina ſua irretire me cogitant) *& in ira moleſti ſunt mihi. Et dixi, Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo* (effugiam inſidiatores) *& quieſcam. Ecce elongabo fugiens & manebo in ſolitudine. Præcipita Domine, & diuide linguas eorum* (vt inter ſe rixantes alij aliis fidem abrogent, nec nocere aliis poſſint) *quoniam vidi iniquitatem & contradictionem in ciuitate* (iam animadverti eos altercandi & verbis contendendi libidine teneri, *& languere circa quæſtiones*

*& pugnas*

*& pugnas verborum* , velut homines *veritate priuatos, qui quæstum existimant pietatem* 1.Tim.6. *Si inimicus* ( apertus ac professus) *maledixisset mihi, sustinuissem vtiq; & si is qui palam oderat me , super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo Tu vero* (quasi dicat , Tu Reuerende Pater Confessarie) *homo vnanimis, dux meus & notus meus* (quem ego intus & in cute pernouisse mihi videbar, quoque magistro vitæ ac duce viæ ad cœlum vtebar ) *qui simul mecum dulces capiebas cibos* (& sportulam ex palatio meo plurimasque vitæ commoditates) *in domo Dei ambulauimus cum consensu* (te omnia mea dicta & facta quasi Deo grata approbante ) *Ego autem ad Deum clamaui & Dominus saluabit me. Redimet in pace animam meam ab his qui appropinquabant mihi* ( qui vltro se offerebant, vt mihi à Confessionibus essent, & de anima mea *fictis verbis negotiarentur, cor exercitatum auaritia habentes*, 2.Petr. 2.) *quoniam inter multos erant mecum.* ( ita vt vnum habens Confessarium perinde esset ac si multos haberem, qui omnes inter se congruunt, & *de compacto rem gerunt, quasi in Valabro olearij*, oleum scilicet adulationis vendentes, quo capita siue Principes impinguent & faciem eorum exhilarent, *in malitia sua lætificantes Regem & in mendacijs suis Principes*, Ose.7. Olei quippe vsus est ad lætificandum vt Psal.103. *Vt exhilaret faciem in oleo.* ) *Molliti sunt Sermones ejus* (vel eorum) *super oleum, & ipsi sunt iacula* , quibus animam eius, qui credis eis, configant. *Tu vero Deus deduces eos in puteum interitus. Viri sanguinum & dolosi* (quorum *verba insidiantur sanguini*, vt effundant scilicet sanguinem innocentem, siue animas simplicium perdant, Proverb.12.) *non dimidiabunt dies suos. Non enim est illis commutatio, & non timuerunt Deum*, id est, cum sint athei, nec Deum esse aut res humanas curare credant, quantumcumque ætate procedunt, nihil animo mutantur, etiamsi vt vulpes pilos mutent Et Psal.139. *Eripe me Domine ab homine malo, à viro iniquo eripe me* (quasi dicat, à doloso Confessariorum genere ) *qui cogitauerunt iniquitates in corde, tota die constituebant prælia* ( multis annis quotidie pugnis verborum & oppositionibus falsi nominis scientiæ ingenium subegerunt.) *Acuerunt linguam suam sicut serpentes: venenum aspidum sub labiis eorum. Custodi me Domine de manu* seu potestate *peccatoris* (ne mihi velut Confessarius manum vmquam imponat) *ab hominibus iniquis* siue auaris *eripe me qui cogitaverunt supplantare gressus meos: absconderunt superbi laqueum mihi. N. tradas me Domine à desiderio meo peccatori*, id est, ne permittas, vt mihi ad desideria mea Confessarius contingat, qui loqui curet mihi placentia, probetque viam illam & Deo seruiendi rationem, quam mihi rectam videri animaduertit , ne magno malo meo experiar verum esse illud Proverb.16. *Est via, quæ videtur homini recta, & nouissima eius ducunt ad mortem.* Et Psal.140. *Custodi me à laqueo, quem statuerunt mihi, & à scandalis* seu retibus *operantium iniquitatem, Non declines cor meum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis* (id est, fac ne malitiosæ doctrinæ magistrorum illorum subscribam, qui argute distinctiunculas excogitarunt, quinque peccata excusentur, aut peccata nota esse doceantur) *cum hominibus operantibus iniquitatem* (id est , sicut faciunt iniquitatis magistri ) *& non communicem cum electis*

*eorum*, siue vt est in Hebræo, *ne comedam in delitijs eorum*, quæ nihil aliud sunt quam Oua aspidum. *Percutiat* seu *corripiat me justus in misericordia, & increpet me* (talis mihi Confessarius contingat) *oleum autem peccatoris non impinguet caput meum*, id est, fac ne Confessarius adulator *per dulces sermones & benedictiones cor meum seducet, non Christo, sed Ventri suo seruiens*, aut vtilitatibus corporis, cuius ille membrum est, consulens; Rom. 16. *Melius* quippe *est à Sapiente corripi* (quamuis verba Sapientum vt stimuli pungant & numerent) *quam stultorum adulatione decipi*, Eccle. 7 *& Melior est manifesta correptio quam amor absconditus, & meliora sunt vulnera diligentis quam fraudulanta oscula odientis*. Prover. 27. Hoc ergo Dauidis exemplo Principes de animæ suæ soliciti rebus relictis se custodiunt, ne insidiis Oleatiorum oportuni fiant, sed sancto & integro conscientiæ moderatore, Canisij alicuius simili, vtantur.

---

## CAPVT XXI.

*Pag. 166.*

*Canisius scribendo contra Hæreticos videbatur sibi Germanis si non eruditis, at certe idiotis atque simplicibus non solum gratificari, sed etiam prodesse in Domino posse. Sperabat aliquid præter ea, quæ circumferuntur, in medium allaturum, vt saltem caritate atque modestia vinceret plerosque scriptores, qui nescio quos impetus & affectus humanos suis libris immiscent, ipsosque Germanos offendant magis, quam sanant austera illa curatione atque tractatione.*

*Pag. 362.*

*Volebat Canisius scriptores Calamo veritatem Catholicam aduersus Hæreticos, publicè tuentes, diligenter cauere, ne mordaciores essent, ne scommatis vterentur acerbis, sed Christianam vbique & religiosam modestiam obtinerent. Quod non modo à nostris exigebat hominibus* (id est, à Iesuitis) *sed ab omnibus, qui contra Hæreticos scriberent. Itaque ad virum benedoctum & sibi perfamiliarem, posteaque Episcopum* (Iohannem Nasum) *à quo iudicanda scripta quadam acceperat, hæc inter alia scribit: Habeo viros doctos hactenus mihi consentientes, in tuis nimirum scriptis multa dici mollius posse, præsertim vbi falsas allusiones immisces de nomine Caluini, Melanchthonis & similium, Rhetorum est, non huius temporis Theologorum hisce flosculis luxuriari. Non sanamus ægrotos hisce pharmacis, sed potius reddimus insanabiles. Cordatè & maturè sobrieque defendenda veritas vt modestia nostra nota sit omnibus hominibus, & si fieri queat, testimonium etiam ab ijs, qui foris sunt, accipiamus. Quocirca nolim ansam Germanis tribuas, vt iuuenilem potius in hoc scripto alijsque feruorem noui scriptoris incusent, quam grauitatem & lenitatem Theologo pio dignam ament commendentque.*

*Animad.*

*Animadversio.*

Recte, grauiter ac prudenter Canisius iudicauit, contentiosos & rixosos scriptores non modo nemini quicquam prodesse, sed etiam de salute eorum, qui ab Ecclesiæ communione alieni sunt, deque sua & Ecclesiæ ipsius ac veritatis existimatione pessime mereri, qua de re ne cui possit esse dubium, nonnulla ex sacris literis afferre placet. 2. Timot. 2. *Noli contendere verbis, ad nihil enim vtile est, nisi ad subversionem audientium. Stultas & sine disciplina quæstiones devita* ( nec disputare cupientibus respondendo occasionem da ) *sciens quod generent lites. Seruum autem Domini non oportet litigare* ( ad conuincendos eos qui resistunt veritati ) *sed mansuetum esse ad omnes didacticum* seu *docibilem* ( non Eristicum, qui hoc spectet, vt hominum mens informetur seu doceatur, & voluntas ad agendum moueatur, non autem vt ipse vicisse & ingenio, doctrina & acumine plus posse existimetur ) *patientem, cum modestia corripientem eos qui resistunt, si forte Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant à Diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipsius voluntatem.* Hic docemur, Hæreticos esse captiuos Diaboli, & laqueis eius ( id est, peccatis ) ita vinctos teneri, vt veritatem cognoscere non possint, donec pœnitentiæ gratiam Deus illis tribuat. Pœnitentiæ vero impedimentum est contentio, cum coniunctum habeat victoriæ desiderium, in quo qui impeditur, cauere vix potest quin ira incendatur, exeoque fiat pertinacior & dyscolus, incommodus & intractabilis. Sed mansuetudo, modestia, placabilitas ac patientia alterius secum agentis eum parat idoneumque facit seu disponit ad pœnitentiam, vel saltem ad audiendi patientiam: qui sane minime contemnendus mansuetudinis fructus est. Vt enim ait poëta: *Nemo adeo ferus est, vt non mitescere possit Si modo culturæ patientem accommodet aurem* 2. Timot. 4. *Prædica verbum, argue, obsecra, increpa cum omni patientia & doctrina. Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem* ( Hæreticorum ) *conuertentur. Tu ergo vigila, in omnibus labora, opus fac Euangelistæ, ministerium tuum imple.* Hic omnia Paulus enumerat, quę ad conuertendos Hæreticorum discipulos Dei seruo præstanda sunt. *Doctrinam & Patientiam* præscribit, non Contentiones seu Disputationes, quoniam per illas occasio Hæreticis præbetur plures in errorem inducendi, velut priore loco docuerat: *Profana & vaniloquia devita, multum enim proficiunt ad impietatem & sermo eorum vt cancer serpit,* si de iis coram multitudine disputetur. 1. Timot. 6. *Depositum custode, deuitans profanas vocum nouitates & oppositiones falsi nominis scientiæ* ( seu Dialecticæ aut Sophisticæ ) *quam quidam promittentes circa fidem exciderunt. Si quis aliter docet, superbus est, nihil sciens, sed languens circa quæstiones & pugnas verborum* Tit. 3. *Stultas quæstiones & contentiones & pugnas legis deuita* ( nec in disputationem admitte ) *sunt enim inutiles & vana. Hæreticum*

hominem·

*hominem post vnam & secundam correptionem* (non contentionem aut disputationem) *deuita*. Iacob. 3. *Quis sapiens & disciplinatus inter vos? Ostendat ex bona conversatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ. Quod si Zelum amarum habetis & contentiones in cordibus vestris: nolite gloriari* (de vestro veritatis Zelo) *& mendaces esse aduersus veritatem. Non est enim ista Sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica*. Apocal. 3. Christus ipse docet, Hæreticos non reduci ad Ecclesiæ obedientiam per magnam Sermonis virtutem aut disputandi facultatem, sed per magnam patientiam, qua Dei seruus obtinet Dei amorem, & aperit ostium fidei, per quod errantes in Ecclesiam reuerti possint. *Ecce* (inquit ad Episcopum) *dedi coram te ostium apertum, quod nemo potest claudere : quia modicam habes virtutem* seu facultatem disputandi, *& seruasti verbum meum, & non negasti* (factis) *nomen meum Ecce dabo de Synagoga Sathanæ, qui dicunt se Iudæos esse, & non sunt, sed mentiuntur Ecce faciam illos, vt* (per ostium coram te apertum) *veniant, & adorent ante pedes tuos, & scient quia ego dilexi te, quoniam seruasti verbum patientiæ meæ*. Vsq; adeo Dei servus patientia sua & Dei amorem & errantium benevolentiam sibi conciliat. Proverb. 25. *Patientia lenietur princeps, & lingua mollis confringet duritiem*, siue expugnabit pertinaciam. Proverb. 15. *Responsio mollis frangit iram, sermo durus suscitat furorem. Vir iracundus prouocat rixas: qui patiens est, mitigat suscitatas*. Proverb. 27. *Ferrum ferro acuitur, & homo exacuit faciem amici sui*. Si nempe cum eo contendat. Eccli. 6. *Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos*. Proverb. 19. *Doctrina viri per patientiam noscitur, & gloria eius est iniqua prætergredi*, nec anxium esse, ne si taceat, victus esse, aut ingenio & doctrina minus posse existimetur, qui metus leuitatem & inscitiam arguit, sicut vicissim patientia & contemtus talis de se opinionis est signum doctrinæ seu Doctoratus, quod quis scilicet in schola Christi doctus fuerit & Doctoris gradum obtinuerit, nam prima eius scholæ acroasis hoc præcepto absoluitur: *Discite à me, quod mitis sim & humilis corde? Tollite iugum & onus meum super vos*, tamquam Asini fortes ad sufferendas plagas. *Improperium exspectet cor vestrum, & cupiat saturari opprobriis*, Psal. 68. Thren. 3. *Audite me, qui scitis iustum, nolite timere opprobrium hominum, & blasphemias eorum ne metuatis*. Isai. 51. Hoc David se fecisse sic significat Psal. 37. *Qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates, & dolos tota die meditabantur Ego autem tamquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum. & factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones, quoniam in te Domine speraui*. Prov. 14. *Qui patiens est, multa gubernatur prudentia: qui impatiens est, exaltat stultitiam suam*, vt omnibus fiat conspicua; Proverb. 18. *Labia stulti miscent se rixis, & os eius iurgia prouocat* Prov. 20. *Honor est homini, qui separat se à contentionibus: omnes autem stulti miscentur contumeliis* Isai. 50. docemur, illum habere linguam pædiæ seu disciplinatam, qui patiens sit, nec contradicat aut litiger, & Doctorem tali lingua præditum Deo auxiliante adversarios suos vincere. *Dominus dedit mihi linguam pædiæ*, eruditam aut disciplinatam, *vt sciam sustentare eum qui lassus est verbo. Deus aperuit mihi aurem: ego autem non contradico, retrorsum non*

*sum non abij*, nec opprobria siue contemtum ex patientia imminens subterfugi. *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus : faciem meam non auerti ab increpantibus & conspuentibus in me. Dominus Deus auxiliator meus. Ideo non sum confusus*, nec erubui, quod homines meum silentium ignorantiæ aut stupiditati assignarent: *Ideo posui faciem meam vt petram durissimam, & scio quod non confundar. Iuxta est, qui iustificat me, quis contradicet mibi? Stemus simul. Quis est aduersarius meus? accedat ad me. Ecce omnes* aduersarij mei *quasi vestimentum contereniur, tinea comedet eos*, id est, Hæresibus dies & interna corruptela interitum afferet. Phil. 4. *Modestia vestra nota sit omnibus. Dominus prope est*, vt vos scilicet iustificet, nec modestiam & patientiam vestram vobis fraudi esse patiatur.

## CAPVT XXII.

TAlem Christi modestiam, patientiam, mansuetudinem & πρᾳοπάθειαν ad exemplum nobis Deus anteponit, Isai. 42. & Matth. 12. *Ecce seruus meus, quem elegi, dilectus meus, in quo bene complacuit anima mea. Non contendet, neque clamabit, neq; audiet aliquis in plateis vocem eius, non erit tristis, neque turbulentus. Arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non exstinguet.* Quam vero nihil huius simile nec in scholis, nec in libris Iesuitarum inuenitur? Nam Scholæ quidem stentoreis magistrorum ac discipulorum vocibus personare solent excussa penitus sententiæ illius memoria: *Qui bene dicit proximo suo voce grandi de nocte consurgens* (importuna vociferatione bonam vicino noctem comprecans) *maledicenti similis erit*. Tam contentiose quidem Reuerendi isti Patres *de lana sæpe caprina rixari* inter se solent, vt plus quam in vna platea voces eorum audiantur, meritoque tantæ intemperiæ vel rusticanum hominem atq; etiam à Christi sacris alienum dispudere debeat. Libri autem quos magno sane numero aduersus Hæreticos ediderunt, tot plerumque non bonis dictis, dicterijs, iocis, cauillis & conuiciis affluunt, vt nihil magis metuere videantur, quam ne maledicti & conuicii exercitatione priores vel solutissimi oris linguæque effrænatissimæ Hæretico relinquere necesse habeant, qua quidem in re non minus Exemplo, quam Facto sunt noxii, remoramq; faciunt errantium saluti ac paci publicæ, cum alii cæterum minime acerbi, & officiosa in diuersæ religionis homines voluntate præditi ista Iesuitarum consuetudine auferantur, chartaque non pro ingenio eorum dentata aduersus dissentientes rem gerant. Nec verò aliam plerumque Iesuitæ libris velitandi causam habent, quam malæ de se opinionis impatientiam, quia scilicet ne falsam quidem infamiam æquo animo ferre possunt, anxijque sunt, ne si vel obscurissimi tenebrionis librum aut factam sibi contumeliam relinquant ἀναντι ῥῶν τον ac sine responso, ipsi in noxa esse, aut redargutiones non habere, nec pro se quicquam aduersario regerere posse, aut

par pro pari referendi copia defici existimentur. Nec quicquam eis est præsidij in monito illo Salomonis Prouer. 26. *Responde stulto iuxta stultitiam suam ne sibi Sapiens esse videatur.* Nam ibi Græca versio pro *Iuxta* habet Πρὸς, estque sensus, si silentio nostro stultum in errore confirmatum iri appareat, tum non deferendum esse curam salutis eius, sed *ad stultitiam* eius ita respondendum, vt ne gloriandi atque errore perseuerandi causam habeat. Id autem longe rectius quis ἐπιεικῶς, quam ἰσχυρῶς effectum dederit, id est, si veritatem simpliciter sine vllius fellis aut bilis mixtura exposuerit. Aliter enim erit stulto similis, quod ibidem sic vetat Salomo: *Ne respondeas stulto κατὰ τὴν ἀφροσύνην αὐτοῦ iuxta stultitiam suam ne efficiaris ei similis.* Sic enim ipse sibi sapere videbitur, qui te nactus sit socium, non minus quam ipse sit, contentiosum & impatientem : velut in Gretsero multisque aliis Iesuitis eorumque aduersariis videmus vsu venisse, vt haud facile sit decernere, vtris impatientiæ, stultitiæ & scurrilitatis palma sit deferenda. Sed quis Iesuitas Canisij dissimillimos miretur in professos Ecclesiæ hostes tanta cum bile verborumque acerbitate inuehi, cum Ecclesiæ filiis conuicia & maledicta non medio, nec trimodio, sed toto horreo admetiri nihil vereantur, nec ob aliam ob causam, nisi quod illi iusta sua tueri, & patrum suorum hæreditatem vna cum bono nomine, quod melius est, quam diuitiæ multæ, vindicare audeant. Eius rei specimen videre licet in *Placida Disceptatione*, quem librum Bauariæ ac Sueuiæ Iesuitæ aduersus veterum Ordinum Monachos edidere. Vt enim Monasteria opulentissima, quæ Cæsar à Protestantibus Edicto reperierat, in suum ius ditionemque redigerent, Monachosque quorum Ordinibus sui conditores ea dicarant, ab eorum possessione in perpetuum excluderent, tam atrocibus maledictis non vnum alterumque Monachum aut Monasterium, sed vniuersos Ordines configunt, vt vix vmquam eius simile à quoquam Hæreticorum quamuis maledicentissimo factum videatur. Huc denique auri sacri fera fames eos adegit, vt sine circuitione dicerent nullumque esse hodie in vniuersa Europa Benedictinum, qui ex præscripto suæ Regulæ S. Benedicti viuat, dempta vna Lotharingia & angulo aliquo apud Gades. Omnes etiam Germaniæ Benedictinos non modo à recuperatione Monasteriorum, quæ Protestantes eis eripuerant, submoueri, sed etiam ex illis in quibus adhuc manserunt, nisi prius ad formulam suam reformentur, iure optimo pelli posse, cum tamen ipsi paucis ante annis plurima Germaniæ Monasteria veterem disciplinæ rigorem recepisse, nominatimque *in VVeingartensi cœnobio primæuam Montis Casini sanctitatem orbi vniue so repræsentari* libris editis prædicassent, vt eos omnino pudorem omnem perdidisse ac velut viri *Diabolici* aduersus innocentem Naboth, falsum testimonium scientes ac volentes dixisse appareat. Sed quid de *Paulo Laimanno* dicemus, qui se gloriatur à Primoribus ex omni Societate delectum ad rem aduersus Monachos stylo gerendam, quod ita iudicarent, ipsum modestia, placabilitate & clementia in disputando,

ſputando facile cæteros Ieſuitarum anteire? At enim vix vlla eſt libri eius pagina atrociſſimo in Monachos maledicto vacua. Ita perpetuo ingerit eis *mendacia*, *calumnias*, *impudentiam*, *inuidiam*; *ſedis Apoſtolicæ contemtum*, *fraudem*, *dolum*, *vanitatem*, *duplicitatem*, *falſationem*, *inſcitiam*, *impietatem*, *ſcurrilitatem*, quicquid denique ipſe & Socij eius ab aliis audire factis ſuis meruerunt. Nec refert, quod ipſe Monachis laceſſentibus gratiam eo pacto referre voluiſſe exiſtimetur. Nam nec verum eſt; Monachos ſimilia in Ieſuitas intorſiſſe, aut iſta merito ſuo audire nec ſi verum eſſet, peccatum peccato caſtigari & iniuriam iniuria compenſari oportuit. Sic quippe Apoſtolus nos monet 1. Petr. 2. *Si benefacientes patienter ſuſtinetis, hæc eſt gratia apud Deum. In hoc enim vocati eſtis* (vt iniurias patienter feratis) *quia & Chriſtus paſſus eſt pro vobis, relinquens vobis exemplum vt ſequamini veſtigia eius: qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius, qui cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur*, ſicut Ieſuitæ vulgo faciunt, vt ſtatim contendant, opprimere exemplum in eo ſtatui, qui officij ſui eos admonere auſus fuerit. Et 1. Petr. 3. *Non ſitis reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto: Sed è contrario benedicentes, quia in hoc vocati eſtis*. Et Rom. 12. *Benedicite perſequentibus vos: benedicite, & nolite maledicere. Nulli malum pro malo reddentes. Prouidentes bona coram omnibus hominibus. Non vosmetipſi defendentes ſed date locum iræ.* (Dei, vt ipſe veſtris inimicis iratus honorem veſtrum vindicet) *Scriptum eſt enim. Mihi vindicta & ego retribuam, dicit Dominus. Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum.* Prov. 20. *Ne dicas Reddam malum pro malo: exſpecta Dominum & liberabit te.* Prov. 24. *Ne dicas. Quomodo fecit mihi, ſic faciam ei: reddam vnicuique ſecundum opus ſuum* Matth. 5. *Diligite inimicos veſtros, benefacite his* (multo magis benedicite his) *qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos vt ſitis filij Patris veſtri qui in cælo eſt.* Ieſuitæ ergo, qui nihil horum faciunt, ſed etiam aliis, non calumniantibus, ſed eos tantum admonentibus ac ſanare volentibus, pro vnoquoque ſapientiæ verbo, ſtimuli inſtar pungente, dena virulentiſſima maledicta, eaque falſa & mendacia reponunt, & Principes eis infeſtos reddere conantur, nequaquam filij ſunt Patris qui in cœlis eſt & cum geminis germanis ſuis Phariſæis merentur audire: *Vos ex Patre Diabolo eſtis & deſideria patris veſtri vultis facere. Ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit, quia non eſt veritas in eo*, Ioh 8. Et hoc quidem faciliime Caniſio probauero; cuius etiam ſecunda voluntate Ieſuitis de numero librorum in Hæreticos editorum tam magnifice gloriantibus, ſeque ipſos circumſpicientibus, & Monachos eo nomine præ ſe contemnentibus, illud Eccle. 10. recte impingitur: *Stultus verba multiplicet.* Et Iob. 35. *Fruſtra aperit os ſuum, & abſque ſcientia verba multiplicat.* Et Eccli. 5. *In multis ſermonibus inuenietur ſtultitia.* Et Eccle. 12. *Faciendi plures libros nullus eſt finis, & frequens meditatio carnis afflictio eſt*, id eſt, qui in libris illis meditari, eoſque legere velit, quos hodie vt quiſque maxime nugator eſt & otij ſui male patiens in publicum emittit, næ

Ille stulto labore se ipsum consumet, & corpus nullo operæ pretio affliget. Canisius hoc amplius ita censeret, libros eiusmodi fuisse vnguem in vlcere, & camino oleum addidisse, sermone duro furorem suscitasse, & plerosque Protestantium reddidisse prorsus insanabiles. *Non tali auxilio, nec defensoribus istis Tempus eget.* Non est contentiosa ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica.

---

## CAPVT XXIII.

*Pag. 377.*

MEam culpam agnosco (ait Canisius) *quod in Collegiis velut alij non professi habitarim hactenus, multasque commoditates, quæ Religioso Pauperi non congruunt, admiserim ex indulgentia superiorum.*

### *Animadversio.*

Quotusquisque vero est in Societate, qui hac culpa vacet? Marianæ verba supra recitaui ex libri eius Epilogo, vti sic scribit: *Maior pars Iesuitarum, qui sunt quatuor votorum professi, non servant votum Paupertatis, cum viuant in Collegiis horumque reditus consumant. Multi multos annos manent proprietarij, multique sunt otiosi, nullam ad rem vtiles. Nimios sumtus faciunt ac rem familiarem dilapidant* (sicque eleemosynis, quibus alios pauperes fraudarunt, ad luxum abutuntur). *Faciunt itinera maiore pompa quam paupertatem professis conveniat. Omnes curru vehi volunt nemo pedibus iter facere.* Etsi autem id faciunt cum superiorum venia & indulgentia: grandi tamen culpa non vacat, quod offensum hominum siue scandalum non cauent, neque Societati suæ bonum nomen multis ac magnis thesauris pretiosius mala, quam præbent, specie abrogare, eamque omni hominum generi inuisam reddere quicquam pensi habent. Postulant eam haberi pro Ordine Religiosorum Mendicantium, ac de Paupertate gloriantur, eoque colore Principes, ciuitates, multosque priuatos homines & peculiosas viduas grandibus pecuniæ summis emungunt & circumueniunt, quas postea sumtuosis itineribus & insanis inuidendarum molium substructionibus dilapident. Quibus etiam ex Formula post quarti Voti obligationem in domibus Professis viuere, & quotidiana piorum fidelium stipe siue eleemosyna vitam tolerare necesse erat, ij maiorem partem in Collegiis viuunt, vt diuites, eorumque fructibus saginantur. Alij, qui à quarto Voto etiamnum submouentur, hoc est, Societatis pars multo maxima, ius adhuc retinent quæstus faciendi & sibi serendi ac metendi, si nimirum superioribus visum sit, eos emancipare & ex Societate missos facere. Denique cum à potiori vnamquamque rem appellari opor-

lari oporteat,& Societas anno 1626. Collegia quidem vectigalibus annuis dotata habuerit numero 444. Domos vero Professas & mendicitate damnatas nonnisi 26. quo iure Mendicantium Religionibus eam accenseri postulant? Scio quidem Pontificem iussisse, vt inter Mendicantium Ordines numeretur: simul tamen certus sum, numquam eum iussisse, vt credamus nigrum esse candidum, & Iesuitas cum contra Regulæ præscriptum, contraque votum ac receptū suum Mammonæ seruiunt, pariter Christo seruire. Si quis tamen Mendicos iuste appellari contendat, eo quod non quidem exiguas stipes aut raudu-scula & æra minuta, vel etiam in diurnum victum panis cibarij quadras, vini crucij cados, & plebeij stomachi obsonium ostiatim erogitent, sed domos sed fundos, sed vncta patrimonia atque effertissimos hæreditates à privatis, luculenta vero à Principibus Congiaria & Monasteriorum ditissimorum census eblandiantur aut extundant: non opinor quemquam fore qui tria cum eo verba commutare aut cuiquam Iesuitæ *Mendicabuli* appellationem controuersam facere velit. Quod autem adhuc Luciones eiusmodi omnibus Monachorum Ordinibus se anteponere, Religionisque summam ac perfectionem Societati suæ vindicare postulant, non temere quemquam nisi manifeste stolidum inuentum iri censeo, qui causæ quicquam dicere & intercedere velit, quin ipsorum merito hæc Senecæ verba eis ingerantur: *Est intolerabilis res poscere nummos & contemnere. Indixisti pecuniæ odium. Hos professus es. Hanc personam induisti. Agenda est. Iniquissimum est te pecuniam sub gloria egestatis acquirere.*

---

## CAPVT XXIV.

*Pag. 296.*

*Canisij iudicium de Iesuitarum Aulicismo.*

ANno 1519. *Pranobili ac pio Dynasta* (Guilhelmo puta Bauariæ Duci) *à Confessionibus erat Sacerdos de Societate animorum tractandorum bene peritus, sed qui frequentior esset in Aula, quam disciplina domestica institutique Ordinis conueniret. Eam ob rem tentauerant Patres, si possent hominem ab eo munere locoq; euocatum Romam abstrahere: nec quicquam erat profectum, nisi vt grauiter Princeps offenderetur. Causa igitur vel transigenda, vel mitiganda à Præposito Generali permissa est auctoritati prudentiaque Canisij. Dolebat Princeps bonum gratumque sibi Confessarium tam subito in Vrbem euocari & tamquam male gesto munere deformari. Proferri iubebat, si quid subesset fraudis. Sin autem nihil explicaretur, aiebat nihil sibi restare aliud, dum videret immerentem hominem tam durè tractari, quam vt culpam in odium & inuidiam domesticam transferret. Tum Canisius grauem ac sapientem disputationem ingressus palam ostendit, quam nihil bona frugis tantus Aula vsus Confessario ipsi, nec Socio, nec Aulicis, nec*

*aliorum denique cuiquam afferret. De veneratione & obseruantia, quæ sacris viris debetur, Aulicos multum remittere: mox talis alios, ex quibus tam multos satam æmulos & obtrectatores Societati vbique conciliet, existimare nos Magnatum affectatores & negotiorum publicorum captatores esse: ipsos quoque sapientes offendi, quod pateremur hominem tamdiu nequicquam foueri delicateque ali, ac subinde* VENANTI *etiam Principi adesse* (NB.) *ipsum vero & Socium paulatim degenerare à Religiosa professione in Aulicam: denique rem cum Societatis more legibusque pugnare. Itaque in exempli nonnullis aditum ad licentiam pandere, vt cogitent aliquando sibi quoque permitti posse, vt Religiosam disciplinam cum Aula delicijs commutent: alijs indignationem aduersus homines tales accendere, vnde mutua caritas aderetur. Scire se Principem toti Societati optime velle. Quare pro sua clementia prouidendum esse, ne communi eius bono priuatam hominis causam anteferret. Nihil in Religiosorum familijs perniciosius tentari posse, quam vt obedientia & Præsidum administratio conuelleretur. Hæc vincula hos neruos esse sacrarum huiusmodi Rerumpublicarum: quæ si laxarentur, dissolui tum corpus & membra dissipari necesse esse. Ordinis ergo sibi addictissimi patrocinium susciperet, ac Præsidum tueretur auctoritatem. Frustra ipsos Principes, nisi conseruetur familiaris disciplina in cœnobijs, vtiles inde operarios desideraturos. Videret Præpositus, persuaderetque sibi, nihil ipsos malle, quam tanto Patrono in omnes partes satisfacium: nec quicquam clarius, quam ipsos, notam spectatamque habere Sociorum cuiusque facultatem: nec nisi virum quam accommodatissimum in suo obsequio tradituros: Hanc rectam esse conscientia regenda viam. Alioquin Principis ipsius dignitatem agi* (NB.) *velut ex Iesuita vnius consilio se suosque regat & statuat omnia. Ad extremum grauem hanc molestiam Præposito Generali adimeret, quæ intolerabilis mox futura esset, si videre cogeretur, vnum quempiam de suis bonitate gratiaque Principis ad professionis suæ neglectum & ad contumaciæ integumentum abuti* (NB.) *Hæc omnia cum grauitate modestiam summamque obseruantiam, ac verecundiam cum simplici libertate permiscens sic egit, vt sapiens Princeps disputationem omnium probarit, seseque Societati placarit: tum demum permiserit egeritque, vt Confessarius in Collegio versaretur ex norma communi. Illud quoque extitit ex eo conatu pretium, quod cum initio idem Princeps viros ex Aula præstantes ad Canisium allegasset, qui eius animum expugnarent, & ad fauorem Confessarij detorquerent ipse contra facile ad suas partes eos adduxit. Adeo vt ipsimet plane Principi demonstrarint, id vrgere Patris, quod instituto Ordinique suo, quod probabili ad vulgus exemplo plane necessarium foret, vt ab Aulis procul abessent* (NB.) *& aduocati referrent illico pedem, ne alioqui multo citius ipsi naufragium Spiritus facerent, quam Aulicos Christo piscarentur* (NB.) *quod manifestum multorum documentis videre esset. Valuerunt hæc veritatis testimonia eo magis, quo sinceriora visa sunt, vt ab hominibus profecta Aula assuetis, morumque sæculi calledi peritis. Multa autem dum hæc tractat, perpetienda indigna & exhaurienda acerba fuere: quæ suscepit ille & exhausit eo animo, vt existimaret communem totius Societatis causam agi, atque eiusmodi pro qua recte caput ipsum indiscrimen daretur. Vix enim dici potest quantam vir sapientissimus ab Aulis perniciem Ordini nostro*

*formidaret*

*formidaret* (NB.) *Itaque ad Præpositum Euerardum multa sæpe in hanc sententiam, grauiter, & illa iracatarum scripsit:* Res ipsa docuit & confirmauit meam iam ante conceptam sententiam, nimirum valde cauendum esse nouum hoc tentationis genus, quod nostris hominibus magis magisque paratur ab his, qui cum Societatis patroni & amici videri volunt (NB. *ô Principes*) quosdam è nostris in suas familias & aulas deducere, & nescio ad quam seruitutem (*credibile est ad Mammona ac Diaboli se. uitutem*) tacite redigere, ipsisque delinitis & inescatis (NB. *Iesuita Aulici*) paulatim imperare velle videntur. Ac rem era vt breuiter dicam, si nostri paulo diutius apud sæculares Aulicosque versentur (vt nunc res Nobilium apud Germanos potissimum comparatæ sunt) plus in se ipsis detrimenti, quam in aliis Spiritualis commodi experientur: & vix effugient, quin vel inuiti subinde peccatis communicent alienis (NB.) in hac communi hominum licentia corruptaque Nobilium (*id est Principum* disciplina. Quapropter etiam atque etiam Paternitatem tuam rogo, ne se facile istorum Magnatum precibus permoueri sinat qui nostros secum in Aula versari flagitant, ac istiusmodi missiones mense longiores expetunt. Omitto in quæ fastidia & pericula nostri incidant, cum se istorum (*Principum*) ingeniis vtcumque commodare coguntur (NB.) ita vt nec sibi, nec aliis pro ratione vocationis suæ seruire ac prodesse possint (NB.) Loquor autem de Germanorum nostrorum receptis moribus; à quibus nostros quoad eius fieri potest abesse consultissimum puto. *Sub hac locus incidit, quo Canisius sua de fugiendis Aulis dicta affirmaret rebus ipsis planumque faceret, nihilo se validius verbo, quam exemplo esse Doctorem. Albertus Comes de Fyrstenberg ex Euerhardo Præposito impetrabat, vt aliquis ad sene Societatis Confessarius in tempus aliquod mitteretur. Nam & ipse à pietatis non abhorrebat Studio & coniugem habebat admodum piam Prageque in aula Imperatricis frequentis Confessioni essuet cum fieret vt difficillime careret magistro conscientia, qui ad manum quotidie præsto esset. Quarum rerum gnarus Prouincialis Sessens, veritatis ne is, quem mitteret nimium diu retineretur, & paulatim ipse quoque sic adhæresceret, vt pæagre abstrahi posset. Canisium mittendum putauit. Accessit supra vota Comitibus viri talis aduentus Ille Comites ambos, virum & vxorem, diuinis mysteriis familiam eorum alios complures procurauit, eosdemq; ac populum doctrina salutis instituit multa priuatim ac publice ad pietatem vel correxit, vel addidit gratiis in dies magis ac fructuosus. Quo grauius certamen exarsit, vbi mentio facta est remigrationis. Cæterum quia agendum cum viro fuit, qui nullam ad prehendendum dabat ansam, & quicquid auctoritatis & gratia collegerat, id omne conferebat eo, vt cum bona pace mitteretur, abeunte veniam demum vel elicuit, vel expressit. Cogitabat enim Generalis Congregationis decreto esse parendum, quæ diutinas peregrinationes & emansiones vetat: deinde prouidendum, ne mora longioris exemplum Societatis rebus apud alios Magnates fieret. Quam rem vbi cognouit Præpositus Euerardus, ita probauit, vt Canisio gratulatus his verbis sit:* Gaudeo & gratulor, quod Reuerentia Vestra Comitissæ Curia expedita ad nostros mature redierit, viceritque omnes eorum, qui illam

qui illam retinere conabantur preces. Quo animo si essent omnes nostri qui Aulas frequentant, non tantum verbis molestiæ aliquando afferrent, & certe cum ipsis etiam Principibus nullum nobis, aut exiguum esset negotium. Quare quod Reuerentia Vestra valde illos hortatur, vt quam maxime Aulas à Societate propulsemus, equidem puta hoc me affirmare posse, nemini me concedere, vt id ardentius ex animo exoptet.

## CAPVT XXV.

*Animaduersio.*

DIllingenses Iesuitæ in *Iustæ defensionis* libro contendunt, contumeliam Principes accipere, si quis Confessarios eorum Iesuitas Aspendios esse & intus canere, & suo siue honori, siue emolumento velificari insimulet. At enim hic hominis sapientissimi vsuque peritissimi Canisij iudicium habemus, partim de Germaniæ Principibus, qui omni vi Iesuitas adsciscunt, vt ijs conscientiæ rectoribus vtantur, partim de ipsis Iesuitis, qui se Principes dicto audientes habere, inque Aulis adspectari & Palatinis delicijs saginari gaudent. De Principibus sibi compertum ait, eos tam iniquo esse ingenio, tamque corrupta morum disciplina, vt quia suum Societati patrocinium profitentur, propterea Confessarios ipsis in seruitutem dedi, & Societatis salutem perspicuo labis & exitij periculo sua causa offerri, Confessarios denique honore ac delicato victu delinitos & inescatos se ingeniis ipsorum accommodare, sicque peccatis sæpe alienis communicare postulent, quod re vera nihil aliud habet argumenti ac sententiæ, quam Principes in negotio Conscientiæ ac salutis cum fraude ac dolo versari, & *maligne ac duplici corde ad Deum accedere* (Eccl.1.) quippe qui eum velint Confessarium, qui loquetur, quæ ad aures ipsorum grata iucundaque accidant, nec talem æque facilè extra Societatem inuenturi sibi videantur. Cuius quidem ingenij & corruptelæ Principes iam olim Dei sententiam ipsis intentatam legere possunt Isai.30. vbi sic Prophetæ Deus præcipit: *Scribe super buxum & in libro diligenter exara illud, & erit in die nouissimo in testimonium vsque in æternum* (tamquam diceret: Quando mundus haud longe ab interitu aberit, hoc oraculo Germaniæ Principes velut testimonio à Conscientia propria convincentur, si tamen nihil fallitur Canisij iudicium, de quo meum nihil interpono, nec alienæ Conscientiæ arcana aut notitiæ meæ vindico, aut sub censuram voco.) *Populus ad iracundiam prouocans est, vt filij mendaces; filij nolentes audire legem Dei* (ex ore puta *Videntium*, siue hominum contemplatiuorum, qui totam vitam contemplationi deputant, & prætermissis rebus omnibus ad hanc vitam pertinentibus, nisi quantum necessitas postulat, Soli rerum diuinarum contemplationi vacare delectantur, estque *voluntas eorum in lege Domini, in ea qua die ac*

*die ac nocte meditantur*, nec satis habent *Adspicientium* more tempus ab actuosæ vitæ negotiis vacuum Scripturarum lectioni & orationi impendere, & Contemplatione vti pro medio & exercitio, non pro fine & officio, quos Videntes seu Contemplatiuos esse S.Thomas perspicue negat. 2.2.quæst.81.art.1.ad 5.) *Qui dicunt Videntibus, Nolite videre: & Adspicientibus, Nolite Adspicere nobis ea quæ recta sunt: loquimini nobis placentia: videte nobis errores: auferte à me viam* (securam & certam ad salutem) *declinate à me semitam; cesset à facie nostra Sanctus Israel;* siue vt habet versio Chaldæa, *cesset à facie nostra verbum sancti Israel.* id est, ne mihi allatis Scripturæ verbis aures oppileris, vt Principis discam officium. Eiusdem ingenij Principes Ose.12. sic descriptos videmus: *Chanaan* seu *Mercator in manu eius statera dolosa, calumniam* seu circumuentionem *dilexit & dixit: Veruntamen diues effectus sum, inueni Idolum mihi, omnes labores mei non inuenient mihi iniquitatem quam peccaui* Ac si diceret: Princeps iste est dolosus mercator, qui Confessarium calumniari seu circumvenire cogitat, quæque dat & accipit, iniquissimo stateræ examine librat & expendit. In vna enim lance ponit fauoris & emolumenti paulum nescio quid, quo Societatem & Confessarium prosequitur, in altera vero Confessarii animam & Societatis vniuersæ bonum nomen ac salutem: Cumque suo potitus est voto, tam que si re bene gesta sibi gratulatur, qui Confessarium qualem optabat inuenerit, mutum nempe & surdum, vereque Idolum aut simulacrum, qui nempe *os habet & non loquitur: oculos & non videt: pedes & non ambulat*, neque ex aula manibus demissis se proripit, *& non clamat in gutture suo* (Psal.113.) quod tamen boni Confessarij est officium, vt cui dictum sit, Isai.58 *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum.* Iam ergo omnes labores eius, siue quicquid fecerit, iniquitate & peccato vacaturum sibi pollicetur. De eiusdem notæ Principibus & Iudicibus eorum, seu Confessariis, Mich 7. ista legimus: *Nolite credere amico, & nolite confidere in Duce. Perijt enim Sanctus de terra, & rectus in hominibus non est. Omnes in sanguine insidiantur. vir fratrem suum ad mortem venatur* (id est, mutua inter Principes & Confessarios est captatio, & alter alterius animam habet quæstui.) *Malum manuum suarum dicunt bonum* (siue Princeps gladio in manu, hoc est, potestate sua male vsus fuerit, siue Confessarius manum male peccata confesso, nec de peccatis dolenti imposuerit & absolutionem tribuerit, tamquam mali nihil fecissent, ita animis ociosi ac securi sunt.) *Princeps postulat. & Index est in reddendo* (id est, Confessarius in eo est totus, vt parem Principi voluntatem reddat, cum sciat, etiam *Principes sequi retributionem*, neque gratis velle Confessariis benefacere) *& Magnus locutus est desiderium animæ suæ, & conturbauerunt eam* (Princeps postulans quod sibi libet, animam ipse suam turbat ac perdit) *Qui optimus in eis est, est quasi paliurus* (plenus spinis, id est, *voluptatibus vitæ fallacia diuitiarum & curis seculi, vt verbum Dei in corde eius seminatum suffocari ac sine fructu effici oporteat*, Matt.13.) *& qui Rectus, & quasi spina de sæpe* quam minime tutum est tangere. Et huiusmodi quidem Canisij de Principibus, quos nouerat, fuit iudicium. Iam

 de ipsis le-

de ipsis Iesuitis, quos Principes inescarunt & obnoxios ad seruire paratos habent, ita censet, eos paulatim à Religiosa professione in Aulicam degenerare. Principum ingeniis & receptis Aularum moribus sese accommodare, eorundem gratia & bonitate ad professionis suæ neglectum & ad excutiendum obedientiæ iugum abuti, & spiritus tandem naufragium facere. Ad extremum ingentia mala ex isto Iesuitarum Aulicismo oriri oportere vsu & experientia doctus pronunciat. Principum videlicet conscientiam malo regi tum famam & existimationem eorum labe aliqua adspergi, quasi qui de Confessarij arbitrio agant omnia, eius nutum obseruent, ac velut pupilli sibi nondum sapiant, nec suæ spontis esse suoque remigio rem gerere didicerunt. Confessarios in contemtum Aulicorum venire, velut Canes offæ & ossibus in Aula inhiantes: Sapientes & insipientes offendi & scandalum deque Societatis existimatione ac fama detrahendi occasionem accipere, quasi Iesuitæ sint Magnatum asseclæ & Polypragmones ac sæcularium negotiorum captatores, quibus à Formula desciscere, Societatisque leges & instituta parùm sanctè habere ac palam migrare nulla sit religio. Alios Iesuitas exemplo sociorum, Aulas celebrantium, corrumpi, ac saliuam eis moueri, vt etiam ipsi ad Aulam adspirent: alios indignari, nec fraternam Aulicis fratribus caritatem exhibere. Disciplinam religiosam in Societate relaxari obedientiam superioribus debitam conuelli & euerti, postem denique & exitum Societati ex Aulicismo portendi, ita vt quisquis saluam cupit Societatem, caput ipsum ad Aulicismum circumscribendum in discrimen dare debeat. Ab hoc Canisij iudicio haud quoquam abijt Claudius Aquauiua, Generalis Societatis Præpositus, cuius supra verba hæc recitaui: *Secularitas & Aulicismus, insinuans in familiaritates & gratiam externorum, Morbus est in Societate, & intra & extra periculosus* (non tantum Aululariis Iesuitis, sed & Principibus, quorum illi Aulas obeunt, periculum animæ ostentans) *& istis qui eum patiuntur, & Nobis* (Superioribus) *fere nescientibus paulatim subintrat, SPECIE quidem lucrifaciendi Principes, Prælatos, Magnates, conciliandi ad diuinum obsequium homines eiusmodi Societati, iuuandi proximos &c. Sed REVERA quærimus interdum Nos ipsos, & paulatim ad sæcularia deflectimus*, ac pro Religiosis Aulici inuenimur. Cæterum de huius Aulicismi causis, generibus & effectis Marianæ distinctius agit & copiosius in libro *de Morbis Societatis* cap. 20. vnde nonnulla huc transcribi operę pretium fore censeo. *Homines* (inquit) *seculares tam hebetes, obtusi & rerum imperiti inueniuntur, vt quoniam eorum eleemosynis ac beneficijs adiuuamur, à nobis vicissim postulent, vt in omnibus rebus eorum necessitatibus è vestigio succurrere paratissimus, seu consilio eis, seu qua re alia opus sit: vt conciliamus eorum matrimonia, condamus Testamenta, patrocinemur litigantibus gratiam aliquam apud Magnates aut Iudices ambientibus suffragemur, prospiciamus eis delicias & necessitates, domesticas, vt nisi iam id factum est propediem videantur imposituri nobis officium Maioris domus vel Oeconomi, & tabellarij aut mediastini domum verrentis Et in talibus quidem exercitiis etsi nimis secularibus, sub specie tamen caritatis nostri occupati plus iusto fortè esse solent. Quin*

*ysque*

*vsque adeo abusus iste rediit, vt sub Confessarij titulo multi Magnates, tam sæculares, quam Ecclesiastici, quocumque vadunt asseclam habent, aut in comitate habeant aliquam ex nostris, non aliter ac si essent eorum sacellani vel Capellani ad sacra in domesticis eorum Oratorijs facienda. In Sola quidam ciuitate Vallis oleti plus quam duodecim Patres in eiusmodi negotijs occupantur. Est autem verisimile, Magnates in eo potius Ambitione aut dignitatis seu reputationis studio duci, quam pietati ac deuotioni seruire* ( NB. Principes ) *præterquam quod etiam minore impensa vnius de nostris, quam alicuius insignis de Vniuersitate aut Academia viri opera vtuntur.* ( Itaque Principes Iesuitas volunt confessarios, aut propter Reputationem, aut propter Rationem status, id est aut ex Vanitate, aut ex sordida compendij cupiditate ) *Hinc porro multa parum nobis digna oriri solent. Non nemo enim nostrorum fretus fauore Magnatis, cui est à Confessionibus, minime bonus Regulæ suæ obseruator euadet, & superioribus suis adversari non timebit, sicut sane quotidie experimur. Huius mali causam credo, quod Patribus senioribus & minime contemnendis nullus à Superioribus honos habetur, nec eorum voluntatibus vlla in re obsecundatur: Neglecti ergo ex eoque exacerbati tam alienis rationibus honorari quærunt, atque superiores, à quibus contemti oppressique sibi videntur, vltum eunt.* Hæc Mariana: cui si credimus, duo sunt Iesuitarum Aulicismi morbo affectorum genera. Alij enim Patriarchæ sui Ambitioni seruiunt, eiusque Monarchiæ amplificandæ in Aulis ancillantur, vt nempe noua Societati Collegia regie extructa ac manificè dotata conficiant, aut opulenta cœnobia antiquis Monachorum Ordinibus per maioris boni causam erepta in Societatem transferant: quod Aulicorum genus Deus Hircorum pecus vocat, eorumque consilia & conatus tali parabola describit Ezech. 34. *Ecce ego iudico inter pecus Hircorum. Nonne satis vobis erat*, ò Hirci olentes, Ecclesiasticæ ac sæcularis potestatis fauore tamquam Cornibus armati, nonne inquam satis vobis erat *pascua bona depasci?* (& ad vitam necessariis minime defici) *insuper & reliquias pascuarum vestrarum conculcastis pedibus, & cum purissimam aquam biberetis, reliquam pedibus vestris turbabatis. Lateribus & humeris impingebatis, & Cornibus vestris ventilabatis omnia infirma pecora, donec dispergerentur foras.* Suaque pascua & prata vobis cederent. Similiter Zach. 10. *Super Pastores iratus est furor meus, & super Hircos visitabo.* Pastores intellige, de quibus Ierem. 12. ita queritur: *Pastores multi demoliti sunt Vineam meam conculcauerunt partem meam. dederunt portionem meam desiderabilem in desertum solitudinis* Id est interprete Spiritu Sancto in Concilio Tolet. V. Canon. 51. *Monasteria, quæ sunt illustris portio Christi Episcopi* ac Principes vexarunt, *iura eorum vsurparunt*, aut in ea Hircos immiserunt, qui Monachos velut infirma pecora inde eijcerent. Alij vero Iesuitarum à nemine plus, quam ab Ordinis sui Patriarchæ eiusque Monarchiæ administris metuunt, adeoque in Aulis patronos quærunt, quorum præsidio se muniant, atque è contemtu exeant. Sed quæcumque eos causa impellat, vt Aulis & sæcularibus negotiis implicari velint, certum est, eos *manu ad aratrum missa retro respicere, nec regno Dei aptos esse.* Nam & Principum atque Episcoporum peccata siue adulando, siue tacendo & dissi-

mulando probant, sicque alienorum peccatorum fiunt participes, & Hircum olentes, siue male ab omnibus audientes, multiplicique specie mala plurimos mortalium grauiter offendunt, & ipsam Societatem atque institutum eius ludum hominibus iocumque faciunt. Sunt quippe qui *Vespertiliones* eos vocent. Sicut enim illi, vt Varro ait, *nec in muribus sunt plane, nec in volucribus*: Similiter Iesuitæ nec Religiosi plane sunt, nec Aulici. Non nemo eis illam Diphili poëtæ Comici sententiam impingit: *Erronis est, aut Verberonis, vt puto, Aulas sequi, vel Esurionis denique. In Aulas quippe* (ait Clemens Alexandrinus 2. Pædag. 10.) *Cadit corruptio & interitus, ibique est vana honesti opinio, inanis gloria cupiditas, error & adulatio.* Cum enim, vt est apud Liuium, *raro hominibus simul bona fortuna, & bona mens detur*, & ex Plutarchi sententia *paucissimis contingat & fortunatos esse, & sane sapere*, rerumque vsus illum Aquinatis poëtæ versum comprobet, *Rarus enim ferme sensus communis in ampla est Fortuna*: propterea in Aulis versari cupientem δεῖ συνωφρεῖν τοῖς μὴ σοφοῖς χαίρειν τοῖς μαινομένοις μαίνεσθαι, καὶ ἐν θηρσὶ καὶ πιθήκοις ὄντα σε καὶ πίθηκον, *oportet cum fatuis desipere, & cum furiosis insanire, & inter feras ac simias agentem ipsum esse simiam, ac semper & omni nocte dieq; opus est alienũ sumere vultum*, siue hominibus siue vtilitatis causa placere, & esse in sermone adulationis. *Qui vestiuntur mollibus in domibus Regum sunt*, (ait Christus de Aulicis, quorum *molliti sunt sermones super oleum* De talibus porro certum habemus, eos Deo non placere, nec Christi seruos, sed inimicos esse. Galat. 1. *An quæro hominibus placere? si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem.* Rom. 16. *Huiusmodi Christo non seruiant, sed suo Ventri, & per dulces sermones ac benedictiones* (siue mollia loquentes ac velut molli vestitu occultantes) *seducunt corda innocentium.* 1. Thes. 2. *Ita loquor, non quasi hominibus placens, sed Deo, qui probat corda nostra. Neque enim fuimus aliquando in sermone adulationis, sicut scitis, neque in occasione auaritiæ, Deus testis est, neque quærentes ab hominibus gloriam, nec à vobis, nec ab aliis.* Psal. 52. *Deus dissipauit ossa eorum* (siue vires imminuit) *qui hominibus placent. Confusi sunt, quoniam Deus spreuit eos* velut mundi amatores, suosque inimicos. Iacob. 4. *Amicitia huius mundi inimica est Dei. Quicunque ergo voluerit amicus esse sæculi huius* (vt fere sunt Aulici) *inimicus Dei constituitur.* 1. Iohan. 2. *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt Si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo.* Cum denique S. Ignatius, quem Societas velut *Ducem pubertatis suæ* venerari debet, Aularum fugam exemplo suo docuerit (ita quippe lib 3. de vita eius cap. 1: Maffeius scribit: *Peregrinus hominibus conditionem ipso interprete in Principum Aula quærentibus, negabat sibi rem esse nisi cum summi Regis aula: ad eam si aditum optarent, daturum se operam, vt essent in intimis Regis amicis ac familiaribus*) cum etiam secundæ Congregationis Generalis Canon ab ipsa Societate fixus Aularum vsum hoc modo suis interdixerit: *Nec Principibus, nec dominis aliis sæcularibus aut Ecclesiasticis assignari debet aliquis ex nostris Religiosis, qui Aulas eorum sequatur & in eis habitet, vt Confessarij aut Theologi, aut alio quouis munere fungatur nisi forte ad perbreue tempus vnius vel duorum mensium*: propterea euadere Societas non potest, quin velut Secutuleia vel

adultera

adultera mulier, fidei Deo & Ignatio datæ turpiter oblita infestis omnium sermonibus differatur, iustoque conuicio propter tantum Aularum vsum passim vapulet, & iuuentuti ad illam aggregari se cupienti verbis illis Spiritus sancti obiiciatur religio: *Prudentia seruabit te, vt eruaris à muliere aliena, & ab extranea, quæ mollit sermones suos, & relinquit Ducem pubertatis suæ, & pacti Dei sui oblita est. Inclinata est enim ad mortem domus eius, & ad inferos semita ipsius. Omnes qui ingrediuntur ad eam, non reuertentur, nec apprehendent semitas vitæ.* Prov. 2. *Vir qui errauerit à via doctrinæ, in cœtu Gigantium commorabitur.* Prov. 21.

*Fr. Iuniperus ab Ancona librum hunc suum Sacræ Romanæ Ecclesiæ iudicio stare cupit, aut cadere.*

---

*INDEX*

# BREVIS ET COMPENDIOSVS RERVM MEMORABILIVM, &c. IN LVDOVICI SOTELI RELATIONE & IVNIPERI DE ANCONA CONSVLTATIONE FFrr. Minoritarum contentarum.

*A.*

*Adolescens quidam nobilis se ipsum in ignem proiecit* 16
*Apostoli Ducis Fridlandiæ & Comitis Tilly magis* Pistolicè *quam* Apostolicè *omnes fere prouincias in Germania debellarunt* 33
*Apostoli plus paupertate & vitæ asperitate ac duritia quam verbi prædicatione vel Miraculis profecerunt* 56
*Apostolico Doctori quæ sint necessaria* 60
*Alterationes oriuntur ex parte Iesuitarum* 23
*Aquauiua Societatis Iesu patriarcha.* 40. 41. *scripsit de Iesuitarum Trabibus.* ibid.
*Ardericus Barbosus quis fuerit* 50
*Arma Apostolica quæ sint?* 28
*Armatura Iesuitarum, ad conuertendos Hæreticos* 28
*Auari Sacerdotes & Episcopi Dei nomen despiciunt* 63
*Aulicismo & secularitate ægrotant Iesuitarum superiores* 40

B.

*Barbariei principalis causa in Hispania* 44
*Boni apud Iesuitas leui & sine causa affliguntur, atque morte afficiuntur* 43
*Boni Confessarij Officium* 89

C.

*Canisius testatissimæ virtutis & eruditionis Iesuita* 56
*Canisius quales cupiuit esse socios suos* 56
*Canisius noluit pecuniam, sibi ab Episcopo & Clero Argentinensi oblatam, accipere* 57
*Canisio iusta causa fuerunt tanta contentione de corrigendis cleri Moribus laborare* 65
*Canisius prisca nota Iesuita nihil aliud spectabat, quam Dei gloriam, & suam aliorumque hominum salutem* 67
*Canisius Cardinalem Augustanum ad reuisendam suam Ecclesiam hortatur* 69
*Canisij Indicium de Iesuitarũ Aulicismo* 85
*Canisij de principibus, quos nouerat, Iudicium.* 88. 89
*Canisii Iudicium de Iesuitis, quos Principes inescarunt* 90
*Caritas Christianorum erga proximum* 39
*Carolus crassus propter vsum solum S. Emmerani Monasterij, ab Imperio deiectus & ad Mendacitatem redactus est* 35 36
*Catholici cuiusuis ordinis & Acatholici vno ore tantarum in Germania calamita-*

tam causam Iesuitis assignant, eosq; omnes Germania Edicto pellendos censent 33
Catholicis nihil periculi est ab Haretica Doctrina, si Episcopi simul verbo & exemplo eos doceant 61
Catholici omnia secunda ac prospera sibi prædixerũt. 67
Causa cur Deus Iesuitas penitus submergat 44
Causa cur Iesuita à Gregorio XIII. cõtenderint, vt ipsi soli ad Iaponiã accedẽdi Ius haberẽt 54
Centum Iapony Christiani Martyrio afficiuntur 8
Christus dedit Pastores & Doctores in ædificationem animarum, non Collegiorum principe dignorum 58
Christianorum officium 70
Cleri Germanici Epicurismus, vitaque lutulento porcoi quam homine, maxime sacris addicto dignior, causa est, cur is Catholicorum in Germania nunc status sit. 66
Conciliorum raritas morum Corruptela publica inter Christianos causa est 66
Confessary officium 70
Confessary in aulis in contemptum Aulicorum veniunt. 90
Contradictio quam antea acrior, ratione diuisionis facta per Iesuitas 15
Contentio est impedimentum pœnitentia 79
Confessarius non loqui debet placentia 70
non sit adulator 78

D.

Diœcesis pro bono pacis inter Episcopos disponenda seu discernenda sunt 21
Dilligenses Iesuita irrident Monachorum stoliditatem. 28.
Dillingensium Iesuitarum Patientia 57
Disputatio Religiosorum cum Iesuitis 61
Doctores, qui errantes vel Hareticos in viam reducere suscipiunt, quales esse debent 31
Ducum Militia Christi officium 70
Duo requiruntur in Doctore, qui Hareticos cõuertere vult 32
Duo sunt Iesuitarum Aulicismi morbo affectorum genera 91

E.

Edicto omnes Iesuita pellendi sunt Germania 33
Episcopus Iaponensis è Soc. Iesu moritur. 4. successor ex eadem Societate eligitur ibid.
Episcoporum & Sacerdotum avarorum contumelia in Deum est triplex 64
Episcopi hodierni nusquam de suscipienda Cleri emendatione vocem mittunt 67
Erronis aut Verberonis est aulas sequi 92
Excubitorum munus 70

F.

Fastus intollerabilis Iesuitarum 12
Florauantius Iesuita & Papa Confessarius, Pontificem obtestatur vt ad Societatem Iesuitarum instaurandam animam appelleret 42
Franciscani, Dominicani, Augustiniani optime inter se conveniunt 23
Franciscani impediuntur à Iesuitis. 6. quatuor Franciscani pro fide Martyrio afficiuntur 8
Franciscus Galvez Hispanus, Franciscanus, capitur ab Imperatore Iaponico 16
Franciscus Sosa Auximensis Episcopus & Status Consiliarius 41

G.

Generalis Societatis non leges curat, neque in dandis officiis, neque in constituendis legibus, neque in aliis rebus 42

H.

Hæreticus Ecclesia reconciliare magis efficaces sunt homines Religiosi, quæ hominum oculis facta, quamq; qui auribus Verba ingerunt 56
Haretici sunt captiui Diaboli, & laqueis eius ita vincti tenentur, vt veritatem cognoscere non possint, donec illis Deus gratiam pœnitentia tribuat 79
Haretici non reducuntur ad Ecclesia obedientiam per disputandi facultatem 80
Hieronymus ab Angelis Italus Iesuita capitur & comburitur 16

I.

Iaponensis Episcopus moritur, & alius è Societate Iesu creatur. 4. in Iaponia multi incola convertuntur ad Christianismum 10
Iapony duas esse Deos iactant, vnum diuitem scilicet & potentem: alterum pauperem à potente oppressum. 14
Iapony sunt aptissimi ad ministeria sacra 19
Iaponenses ingenio pollentes facilè aliter per experientiam iudicant, quam initio Iesuita prætexebant, ne aliy quam ipsi in Iaponia Religiosi venirent, qui in diverso habitu, in ordine, in doctrina & moribus optimè conveniunt 22
Iesuita ferunt indignè alios Religiosos in Iaponia prafici, & impediunt aliena manu 4
Iesuita Didacus Valens, qui se Episcopum Iaponensem Consecratum gloriabat, petit impedire Frãciscanos. 6
Iesuita lingua Iaponica ignari, conantur eius peritos Franciscanos impedire. 6. quatuor Iesuita pro fide martyrio afficiuntur. 8. impediunt alios religiosos ne evangelizent. 11. 12. Modus oppositionis. ib. opponunt se multis Religiosis. 12. Eorum fastus intollerabilis. ibid. in Iaponia soli volunt pro Dominis haberi. 13
Iesuita iactant se de magnis Patronis Roma, & in Hispania 13
gubernant suum Episcopum 14

Iesuita

Iesuitæ in Iaponia falso gloriantur de rebus suorum in Germania præclare gestis. 27. non unicam civitatem armis Apostolicis vicerunt, quemadmodum gloriati sunt 28
Iesuitæ in Germania student magnificentia in habitationibus, sunt mendaces, simulatores &c. 28. dominantur in aulis principum, & ab ipsis proceribus coluntur, & tantum non adorantur ibid.
Iesuitæ Dillingenses irrident Monachorum stoliditatem 28
Iesuitæ & Monachi discrepant in modo convertendi Hæreticos 29
Iesuitæ non sunt apti ad convertendos Hæreticos. ibid. circiter septingenti ex variis collegiis Lutheranorum metu profugiunt. 33. omnium calamitatum in Germania causa sunt. 33. 34. libris, consiliis, monitu & instigationibus suis totum Imperium usque à fundamento commoverunt. 34. ubivis locorum se ingerunt, & principibus ac Magnatibus à Confessionibus esse postulant. ibi. contra legem Dei, Episcopum oportere esse Doctorem, negantur, aliquem bona conscientia esse posse Episcopum, qui ne semel quidem in omni vita prædicaverit, nec prædicare vel sciat, vel velit. 34
Iesuitarum Dillingensium liber, qui inscribitur Placida disceptatio, est sacrilegus & sacrilegiorum magister 35
Iesuitæ omnibus locis odio habentur 33. 34. 36
Iesuitarum plus sunt in Gallia & Italia, quam Muscarum cum calitur maxime 37
Iesuitis Germanis quo fugiunt non locus est, neque in Gallia vel Italia 37. neq; Hispania 38
Iesuitissarum Ordo 47. 49
Iesuitarum multi sunt Delatores & Adulatores quamvis honestiori nomine appellentur 43
Iesuitæ Principem & Abbatem Fuldensem Ioannem Bernardum, à cucullo tonsuque Monastico vi deterrere 67. 68
Iesuitæ scientes & volentes falsum testimonium dicunt 82
Iesuitæ postulant haberi pro Ordine Religiosorum Mendicantium. 84. Mammonæ serviunt non Christo 85 sunt Vespertiliones & quare 92
S. Ignatium Iesuitæ vocat Ducem Pauperum: sua venerari debent 92
Imperator Iaponicus religiosos in sua aula clam docentes capti iubet. 16. & remb. rs ibid.
Improbi apud Iesuitas tolerantur 43. 44
Impudentia cuiusdam. Ie vita 19
Invidia erga Iesuitas Protestantium causa princeps quasi sit 33
Ioannes Faramunda Imperatoris Iaponici propinquus consanguineus ob fidem Catholicam capitur & crematur 61
Ioannes Mariana Iesuita unus ex antiquissimis, De morbis Societatis, eorumque causis & remediis scripsit. 41. edidit librum Coloniæ, in quo Ministrorum Hispanorum fraudes perstringit, propterea à Duce Lerma in vincula coniectus fuit ib.
Iuniperus de Ancona Minorita revocatur ex Iaponicis Insulis. 27. mittitur in Galliam & Germaniam. ib. longe aliter se ibi habere res, quam in Iaponia Iesuitæ gloriati sunt, invenit 28
Iuniperi consilium ad Iesuitas ut secum in Iaponiam fugiant, re in Germania male gesta. 33. videt Iesuitas Germanos propter linguarum exoticarum inscitiam 37
Iuniperus viscera caritatis Iesuitis aperit 39
Iuniperus unget reformationem Iesuitarum 46

L.

Latrones æqualitate & Iustitia superant Iesuitas 43

M.

Magna pars Iesuitarum est amans deliciarum, laborum intolerans 44
Manila metropolis in Philippinis 6
Mercenarij qui? 5
Ministri Verbi divini sunt vasa, sive patinæ, in quibus Thesaurus epularum cœlestium convivis i. e. auditoribus anteponitur 32
Modus Iesuitarum Hæreticos ad fidem Catholicam convertendi 28
Monachi ante mille annos totum septentrionem ab infidelitate & Paganismo ad fidem Catholicam converterunt 28
Monachi & Iesuitæ discrepant in modo convertendi Hæreticos ad fidem catholicam 29
Monarchia origo & fons est omnium turbarum & motuum in Societate 47
Monasteria Cardinalibus & Episcopis dare in Commendam, nihil aliud est, quam res Deo sacras dare lupis in prædam 35

N.

Nova Iesuitica quæ sint? 28

O.

Oeconomi & dispensatores Domus Dei qui 73
Olei usus 77
Omnia mala eveniunt, si Iesuitis fides habetur 33
Operarij boni & mali in Dei Messe qui? 39
Operarij mali sunt tanquam Canes 32
Operarij mali dicunt & non faciunt 31
Ordo S. Benedicti mille partibus Societati Iesu excellentior 46

Pœnit-

# INDEX.

P.


Pœnitentiæ impedimentum est contentio 79
Palea quæ sint in Domo Dei 73
Paulus Laimannus cæteros Iesuitas falsitate & Mendacio anteire videtur 82.83
Persecutio aduersus Christianos in Iaponia 4
Philippus Fiaxecura moritur 16
Placida Disceptatio. est liber quem Bauaria & Sueuia Iesuitæ adversus veterum Ordinum Monachos edidere 82
Pontificem Iesuitæ palam habent ludibrio 30
Pontifex Iesuitissarum Ordinem Bulla dissipauit 51
Prædicatori duo necessaria sunt; Bona Vita & Bona Fama 32
Principes ægre ferunt tyrannidem Imperatoris Iaponici, cui licet obsequantur 18
Princeps, qui Iesuitas mittit ad conuersionem Hæreticorum, suo officio non satisfacit, nec sine peccato Hæreticos, talibus doctoribus non credentes, punire potest 29
Princeps causa Inuidiæ erga Iesuitas quæ sit 33
Principes Dauidis exemplo soliciti debent esse animæ suæ 78
Principes Iesuitas volunt Confessarios aut propter Reputationem aut Rationem status 91
Protestantium Inuidia erga Iesuitas causa quæ sit 33
Prouinciales & superior Societatis violentum exercent imperium 42


Q.


Quales armati ad debellandos Hæreticos mittendi sunt 32
Querimonia contra patres Iesuitas impedientes alios religiosos ne evangelizent 11


R.


Rationes cur à 20. iam amplius annis in Iaponia creuerit Religio Christiana 20
Reditus esuitarum in Hispania 38
Regimen Societatis Iesu est contra naturam 44
Religiosi multi pro fide martyrio afficiuntur 8
duo Religiosi igne cremantur 10
Remedium omnium Malorum & calamitatum sunt frequentes Synodi vel Conventus Cleri 66


S.


Saxoniæ Elector per neminem alium, nisi per Iesuitas à sua erga Cæsarem fide est abductus 33
Scriptores contentiosi ac rixosi nemini quicquam prosunt 79
Signum Apostolatus Iesuitarum 57
Societas Iesu multa mala & turpia committit, quæ manent impunita, & involvuntur silentio 24
Sotelo Fr. Minorita mittitur à rege Oxu ad Papam 3. excipitur humanissimè ibid. designatur in Episcopum regni Oxensis. ibid. magnificè excipitur à rege Hispaniæ. 4. eius consecratio ib. opponit se Concil. regio. 5. Venit in nouam Hispaniam ibid. inde in Philippinas. 6. impeditur à Didaco Valente Iesuita, qui se Episcopum Iaponensem dicebat 6. capitur & detinetur ne pergat ad Regem Oxensem. 7. de nouo impeditur à suo proposito. 7. capitur rursus & præsentatur Iudici. ibid. incarceratur Negasaqui & deinde arctius Omuri. 8. cum aliis Sacerdotibus in carcere celebrat missam, & maximam exinde percipit diuinam consolationem. 9. conqueritur & lamentatur quod nondum ei permissum sit videre commissas oves. 15. Commendat oves suas à sociis acquisitas summo pontifici. 16. petit à Pontifice mitti binos & binos, i. e. pares & pacificos in Iaponiam. 17. Iterum petit multos operarios. 18. Iterum petit dari Episcopos 19. 24. pugnat pro Ecclesia. 26. refert se liberatum iri à rege Oxensi. ibid. optat martyrium ibid.
Stulto iuxta stultitiam suam non est respondendum ne efficiaris ei similis 82


T.


Theologia duplex, Didactica & Eristica 75
Theologi didactici qui? 71
Theologi Eristici qui? 75
Trabes Iesuitarum 41.42.43.44.45
Triticum quid sit in Domo Dei 73


V.


Vasa pretiosa & fictilia quæ sint 32
Vitellescus Iesuita homo cui frons & pudor periit, Marianæ libro se opponit. 42


*F I N I S.*

